

BOISSARD, JEAN JACQUES
BRY, THEODOR DE [ILL.]

**Icones quinquaginta virorum
illustrium doctrina &
eruditione praestantium ad
vivum effictae.**

Cum eorum vitis descriptis [Pars 1]

per Theodorum de Bry
Frankfurt
1597

books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

How to order an EOD eBook?



Wherever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need.

A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

Print

Print out the whole book or only some pages.

Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.


Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

Advanced EOD eBook - How to use

Search & Find

Print out the whole book or only some pages.



With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. "Habsburg" is being searched for in this example. The finding is highlighted.

Copy & Paste Text



Click on the “Select Tool” in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

Copy & Paste Images



If you want to copy and paste an image, use the “Snapshot Tool” from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.

Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html>

Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html>

More eBooks

More eBooks are available at <http://books2ebooks.eu>

Universitätsbibliothek Wien

I


231.994

A

Ex Libris
Ejus, ac Classici & Magistri Magni Marini Willing, Senioris, definitoris
pæneti, studiosi Regentis emeriti, & quondam jurati in Universitate

Vienæ Incolæ Nationis Austriacæ primarii Procuratoris Consistorii
alis Librorumque Académico-Theologici Censuris ordinariis, nec in Comitiis
Prædium in vna alma Convenerunt P. de Austria apud nos Vienna ad S. Crucem
1782 sub ultima Augusti ritè inchoatum, & tunc diebus subsequentibus diebus
diebus concorditer celebratum legitime speciali de deputato Profide Copi-
dulari, hoc Seniculo bono viro, qui Prof. prohibito pro nonnullis hujus
vna Comitibus bibliotheca exigua decorat & singulis alijs ejusdem charitate Pa-
terna de suis cum gratiosa laborum altiorum Superiorum Dispositione licentia
præter plurimos adhuc alios varios & omni ferme Classe salubres, et utiles
Auctores, in insigniores studiose admodum, & viles, & emptis ad sumum,
suis hujus charissimi nativi Paternalis paterculi. Conventus
Tulnenfis bonum usum in prætio gratia sui maximi peccatoris, ac
specialis hujus, vna ab ipso paucis abhinc annis vigilanter satis solide
neo-ædificate, satisque de suis pulchre in structa bibliotheca
Minoritica benefactoris haud exigui quotidie ana ad solas semper
specialius devotissime faciendam memorandam piffione, nequaquam
in futurum mittendam, neque unquam oblitendam





6. 9.5



ICONES
QUINQUAGINTA VIRORVM
illustrum doctrina & eru-
ditiōe præstantium ad vivum
effictæ, cum eorum vitis
descriptis
a
Ian. Iac. Boisardo Vefunti:
Omnia recens in æs artificiosè
incisa, & demum foras data
per
Theodorum de Bry Leodiens-
croem francofurtj
Anno M. D. XCVII.



I

231994



PETRI LEPIDI METENSIS IN BOIS-
fardi effigiem à Theodoro de Bry sculptam.



Cons Alexandrum sinobilitauit Apelles
Dum pinxit docta Principis ora manu:
Iane tuū illustrat Theodori industria vultum,
Qui tanto heic piētus cernitur artifice.



SYMBOLVM THEODORI
de Bry Leodiensis.



*Eu quantum à primo miseri mutamur Adamo:
Ver illi aeternum risit & alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos:
Huc ratio huc omnis vis subit ingenij.*

Scilicet ut corpusq; animamq; & cetera serues

Res tibi cum curis perpetuata venit.

Parua sed ingentis formica laboris imago

Exemplo hac nobis dat documenta suo.

At mihi quando anima dabitur curare salutem;

Non me deficiunt quas colit orbis opes.

Quin ea Christicolae nunc vnica cura fatiget

Qua Scythicum reprimant excutiantq; iugum.

Tu DEVS ò mentem meliorem & sobria nostris

Pectora promeritis ab grauiora dabis;

Vt crudele queant procul euitare flagellum

Teg; redemptorem concelebrare Deum.



LECTORI



LECTORI CANDIDO

Theodorus de Bry Leodienfis S. P. D.



Didi haecenus ad publicam humanae societatis utilitatem, Lector benigne, praecleara quaedam virorum doctissimorum monumenta, quibus res novas & ante Christiano orbi incognitas detexi, utpote Americanam Historiam, septem voluminib. distinctam, & Topographiam Romanae urbis cum monumentis sepulchralib. ita in aere effictis, ut similia prior aetas non viderit. Quae literarum & antiquitatis monumenta, cum a viris excellenter eminentibus mihi communicata sint, & maxime a Doctiss. viro Dn. I. I. Boissardo, ea animi gratitudine, qua par est, eos complector, & veneror. Interea autem idem Dn. Boissardus per literas me admonuit, penes sese quoque Doctorum virorum Icones esse, quas ad vivum ipse delineavit, (ut est in ea arte miro ingenio callens) quasque absolutis descriptionibus illustravit, quas si scalpello meo imitari & perpolire velim, se ea re mihi gratum facturum, & archetypos ad me missurum: quae dum opportune mihi significasset, insititi simulac. ut promisso se solueret, & me eorum compotem participemque faceret: siquidem quaecumque haecenus a me publice exhibita essent, ea omnia Doctorum ingeniosis repertis accepta ferrem. Is autem ut vir est & Musis, & amicis natus, ubi voti mei desiderium ei in scripto redditum esset, maiori quam rogabam fide & diligentia omnia praelineata, & accurate descripta ad me misit; id itaque ipsum exemplar tam accurate tantaque cum industria in aere effinxit, & publici iuris nunc in lucem protulit, ut in me nemo, ut confido, quicquam desiderare amplius queat. At enim cum horum virorum illustrium vitae, documenta & exempla quaedam virtutis eminentis esse soleant, quorum labor indefessus eodem usque ad hono-

P R Æ F A T I O.

rum culmen eos prouexit, ut velut in summo dignitatum fastigio reliquis pralucent, nolui & meo deesse officio, & in eis elaborandis non absimile quid tentare, si qua mihi earum laudum portio ob solertia mea & industria specimen ex his contingere possit. Fore enim putabam ut hinc tū alij, tum maxime iuuentus tanquam in speculo informetur, ne tempus inertia terant, sed dum mensis adhuc in herba est, iam tum virtuti assuefiant, quo & illos par gloria dignitatumq; fama tandem consequatur.

Quare parentibus præcipue autor esse velim, ut prolis suæ institutioni diligenter attendant, ne ocio detestabili, quod verè Sathana puluinar est, diffluat, & extremam ita perniciem tandem sibi adsciscat; quod vel meo ipsius exemplo edocuisse non mihi pudori sit, quippe qui & parentibus honesto loco natis progeneratus, & opib. affluens, atq; adeo inter honoratiores Leodij vel primarius fuerim, fortuna tamen calibus, imposturis, malis nominibus & latronum insidijs omnibus ijs ornamentis exutus, adeo aduersam aleam expertus sum, ut nisi ex arte mea mihi prospicere potuissem, vellittus, quod aiunt, rerum omnium egeno arandum fuisset: Ars sola mihi post tam amplam à parentibus relictam rem remanserat, quam nec latrones nec furum manus rapaces inuadere potuerant, eam rem & gloriam in pristinum restituit, nec me cultorem sui indefessum sefellie unquam. Libenter hæc recito quod & alijs exemplo esse debeant, & optima fide à me prolata sint, nec ab instituto nostro aliena; Non enim viri hi illustres vel somno vel inertibus horis hoc nominis assecuti sunt, ut inter illustria mundi luminaria emicarent, sed labor improbus, & exercitatio indefessa, atq; ardentissimus veritatis amor in rebus abstrusis inuestigandis, hos illis honores contulit. Bene enim vixisse, suo seculo profuisse, de omnibus bene meritum esse, laudemque præcipuam inter suos adeptum fuisse, merito suo multum & magnum putatur, & ad posteritatem iure propagatur.

Hinc tot apud maiores nostros Heroum imagines, tot statuae per circos, per theatra, per delubra Deum, unde honos virtuti præsentis

P R Æ F A T I O.

senti alimentum, & posteritati absenti stimulos sufficeret. Quis vero nescit, qua reuerentia imaginibus, qua religio cesserit? Parentes quidem pro sua indulgentia hanc storgen liberis; & liberi pro pietate sua hoc officij parentibus, ceterique amici amicis in Lararijs præstant: gloria apud eruditos datur si volumina edita non minus ingenij commentis, quam à frontispicio corporis specie autorum exornentur: quicunque enim bonis disciplinis ipsarum tantum causa fauent, easque diligunt, ij ab omni inuidentia prorsus alieni sunt, singularique erga virtutem affectu ducti non possunt non amare eos, quos excellens animi virtus aliqua nobilitauerit.

Hinc iam tibi Lector ingenue, studium meum apertius probatum iri spero, quòd hæc sola mihi causa fuerit, ob quam virorum in bonis artibus illustrium, qui superioribus ut plurimum sæculis floruerunt, quique adhuc cum multa ingenij & eruditionis laude de re literaria benemerentur, Effigies tanto artificio exprimere aggressus sim. Iamque adeò primo hoc Tomo speciminis loco contentus, occasione deinceps etiam data, alios tum numero Iconum, tum arte & opera pares à nobis expectato. Plures enim ad publicam notitiam exprimendos exhibendosque dabimus, quos precio minus coaceruato distinctos successu temporis tibi comparare detrimentum non erit: Boni modò studiosiq; viri, & literarum facultatumq; antistites, aut ciuitatum magistratus, apud quos defunctorum huiusmodi doctorum effigies, ad nominis monumentum depictæ habentur, siue etiam superstites ij reipublica adhuc inseruiant, exemplum ad nos, à perito artis pictore expressum, vel cum coloribus si ita ratio feret, aut si sculptum habeant, siue in numismatis formam relatum, mittant, quod cum redditum acceperimus, quantum omni diligentia & industria consequi poterimus, virorum illorum de bonis artibus & humano genere benemerentium fama celebrationiq; consuluerimus, ut veluti ex ingeniorum fructibus editis noticiam suam ad absentes & ad posteros propagauerunt, sic non animorum tantum specimine, sed corporum etiam specie ipsa presentes quodammodo noti sint.

P R Æ F A T I O.

Hac instituti mei fuit ratio, qua videlicet inductus, virorum clarissimorum monumentis à me eleganter & speciose edendis nunc clarissimo viro Dn. I. I. Boissardo negotium nouum facessere nõ destiterim, donec hac quoq; in parte mihi annueret, atq; nouum & primum hunc Tomum ex sententia perfectum foràs ambo daremus. Caterum que tua est humanitas, Lector aquisime, singula pro tuo candore habeto, & quod facis, nos tui amantissimos libens volens redama, sic propediem, & plura nec his inferiora, nec noticia tua minus digna, per nos, promoueris. Vale.







PALATIN' IOANNES
 ARCHIAETER POSTHIVS

*Te postu, te phoebus amat seu, carmina pangas
 Pæonia Venat seu tibi ab arte decus*

*In viuis adhuc existente Domino Posthio, eius effigiem priori loco ponendam
neque alijs interferendam duxi.*



IOANNES Posthius aulae Palatinae Archiater, vir omni genere literaturae excultissimus, non solum Medicinam, verum etiam vniuersae Philosophiae secreta exactissimè tenet: Poëta doctissimus, & qui in Poësi nulli huius saeculi secundus esse iudicatur.

Is ortum duxit Germershemio vrbe Palatinatus ad Rhenum: natus Anno Salutis humanae 1537. Parentibus Ioanne Posthio eiusdem vrbe primario ciue, & inter suos sorte splendida & honorata. Matre verò Anna Vilmanna à Zeysheim; quae paucis post partum difficilem diebus, magno mariti, ciuiumque suorum dolore decessit è vita. Neque pater diu post vxoris obitum superuixit. Vix enim puer (quem vnicum hoc matrimonio susceperat) tertium agebat ætatis annum, cum vir bonus immatura morte præreptus est, orphanumque filium sub tutela noueræ, quam paulò antè demortuæ coniugi superinduxerat, reliquit. Atque vt fit plerumq; , ea cū tutoribus de re sua adaugenda magis, quàm de pueri institutione sollicita, eius primam pueritiã neglexerunt. Sed cum indies insignia felicitis indolis redderet testimonia, tandè iam agentem nonum annũ commiserunt institutioni Ludimagistri, qui tunc erat Germershemij vir mediocriter eruditus. Is pueri ingeniũ admiratus, hortator fuit apud eius curatores, vt studiis bonarum litterarum illum diligenter instituerent. Puëritiæ igitur partẽ postremam apud Præceptores populares in patria exegit. Iamque adultior factus, missus est Heydelbergam ad Nicrum Academiam celebrem, aulaq; Palatinorũ Principum claram: vbi doctissimi viri Thomas Erastus Medicus & Philosophus eruditissimus, Petrusque Lotichius Poëta inter Germanos suo tempore primus, alijque per multi viri doctrina illustres viuebant. Horum familiaritate & amicitia per annos duodecim continuos tantum in bonis disciplinis profecit, vt cum eruditis quibusq; cõferri posset. Pronus enim in studia & inuestigationem rerum naturalium

ferebatur, vt erat promptus, solers, & vigilans, quique nulli labori parceret, quo posset ad cognitionē abstrusioris Philosophiæ peruenire. Ideo cū nullam literaturæ partem intactam omiserit, ipsamque Cyclopædiam attigerit, peculiari tamē in-
 stinctu Medicinam elegit, in qua se exerceret: quòd eius perfecta cognitio constet scientia rerum diuinarum humanarūq; charitatis amorem excitet, dum proximo prodest, tã cōsilio, cōsolatione in doloribus, quàm procuratione restitutionis bonæ valetudinis, sine qua nostra corpora redduntur ægra, mutila, imbecilla, & ad omnē bonam actionem inutilia. Quòdque ea ars necessaria sit in hac vita, grata Principibus & populo, iucundamq; rerum variarum cognitionē adferat. Huic vt cōmodiùs, & cum maiore profectu vacare posset, Germaniam relinquens in Italiam iter suscepit, Patauium potissimùm: vbi celeberrimi totius orbis videntur Medici: qui non solùm doctè, & fideliter publicè docent, sed quod apud cæteras nationes inusitatum cernimus, suos auditores secū à lectionibus ad Praxim deducunt, cum ijs familiariter conferunt, & separatim docēt, & explicant, quæ in auditoriis obscuriùs tractata, vel intellecta non sunt: quæq; in genere dicta sunt publicè, ea fusiùs & particulatim retractantur, cū ad ægros peruentum est: vbi de diuersis symptomatibus agitur, quæ morbos comitantur. Hæc Medicorum Italarū industria, nō potest esse sine maximo auditorum fructu. Vtque est Doctorum eius nationis honesta & laudabilis ambitio, quos habēt auditores, hos in officio & amicitia retinent comibus alloquiis, cōmunicatione, & interpretatione rerum obscuriorum, & lectionibus priuatis, quoties feriæ, vacatioq; publica propter æstus, messes, & vindemias indicta est. Tum publici professores soliti sunt aliquid subtilioris, & argutioris materiæ suscipere, qua norunt suos auditores delectari; vel cuius cognitionem animaduertunt omnibus Medicis adprimè necessariam. Quod meo tempore factitatum scio à magnis illis viris Patauinis Bassiano Lando, Victore Trinca-

uella,

vella, Aloysio Bellagato, & Gabriele Falloppio, qui Anno 1556. celebres in Academia Patauina viuebant: & nouissimè Anno 1576. Hieronymus Mercurialis, Hieronymus Capouaccius, Bernardinus Paternus, alijq; de Medicinæ studiosis optimè meriti idè præstiterunt. Adde id quod colophonem imponit huic studio; postquam eorū discipuli & auditores satis in ijs studiis versati sunt, eos promouēt ad Nosocomia Italiæ luculentiora, vbi Medici sunt rerū peritissimi, diligētes, & fidi: & Pharmacopolæ, qui Doctoribus Medicis solertia & experientia nō cedūt. Anatomix præterea, & corporū sectiones quorannis instituuntur in Theatris ad id cōstitutis, tanta arte, tanta auditorum frequentia, tanta deniq; Medicorum & Chirurgorum cōtentione, vt nemo sit inter eos, qui non decertet & conetur aliquid in medium adferre, quo auditores delectētur, & erudiantur. Tãtæ & tam variæ exercitationes mirum est quem fructum studiosis conferant: qui ex Italia in patriam redeunt instructissimi ad aulas Imperatorum, Regū, Principum, ciuitatesq; benè institutas. Posthius igitur, qui hæc omnia relatione aliorū cognoscebat, quique peculiari desiderio stimulabatur videndi nationes externas, & ex conuersatione familiari cum doctissimis quibusq; animum polire: quippe, vt erat ingenio excitato, prompto, alacri, aperto, & candido, moribusq; cōmodis, nihil nisi arduum meditabatur & moliebatur. In Italiam igitur profectus, doctissimis se associauit, qui potissimū in facultate Medica operam impendebant. In horto simplicium (cui præerat longa experientia, peregrinationibusq; in Orientem susceptis celebrer, ac singulari comitate præditus Guilandinus) assiduè versabatur, discens continua scrutatione vires & virtutes herbarum, quoque modo præparari, ex ijs succi elici, & quibus morbis adplicari possent. Cumq; Patauij aliquandiu hæssisset, vltèriùs progrediendi studio raptus Venetias Medoaco secundo descendens peruenit, lustrataq; diligenter ea vrbe, (quam non absurdè Actius Sincerus cum Roma conferens, Romam

Ioui tribuens, Venetias Neptuno, Epigramma hoc versu iucū-
 dè clausit. *Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.*) Hadriacum
 mare nauigans ad Faletum naufragium passus, de vita pericli-
 tatus est. Sed Dei beneficio ex hac tempestate ereptus Bononiam iter conuertit. Vbi postquam aliquandiu moratus esset Apenninum traiciens Florentiam venit: Deinde Senas: vbi arctissima necessitate & amicitia conuersatus est cum Ioanne Schora, & Francisco Boninsignio Medico præstantissimo. Neque his contentus, vt erat animo ad Poësim procliui, in qua tantos iam profectus fecerat, vt dulci carminum harmonia omnes in sui amorem & admirationem pelliceret, Camillum Falconetum Poëtam insignem conuenit, & cum eo de metro-
 rum varietate seriò contulit. Pauloq; post Romam profectus nihil priùs habuit, quàm cum Marco Antonio Mureto Gallo, cum Laurentio Gambarà Brixiano de studijs bonarum literarum communicare, & cum alijs plurimis literatis viris, quibus Roma semper abundauit: maxime cum magno illo, & illustri tam generis nobilitate, quàm doctrina Fuluio Ursino, qui peregrinū neminem literatum à se dimittere solitus est, quin de eo benemereri studuerit. Sed postquam inter Italos biennio integro mansisset, iustrassetq; solerti indagine quæcunque in illa Europæ florentissima parte conspiciuntur, Ligustico mari in Galliam profectionem suscepit: atq; in ea nauigatione in Pyratas Turcicos incidens, parum abfuit, quin latronum præda factus, ad triremes redigeretur, vel misera lamentabili que seruitute reliquum vitæ tempus exigeret. Nautarum tamen sedulitate, & tenebris nocturnis adiutos Deus misericors vento secundo ad Massiliensem portum compulit: vbi aliquot diebus corporis vires nauigatione difficili debilitatas refecit, & inde Montepessulanum celeberrimam Galliæ Academiam properauit: vbi auditor fuit Gulielmi Rôdeletij, Antonij Saportæ, & Laurentij Inberti, qui eo tempore Medicinam summa auditorum frequentia & laude docebant & faciebant. Monte-
 pessu-

pessulano Parisios se contulit , idemque præstitit in ea vrbe, quod hactenus fecerat in Italia & alibi , nempe ex frequentatione virorum doctorum, tanquam apis sedula, quæ ex omnibus floribus id assumit, quod ad suos fauos, & mellificationem commodum est : Ita quoque Posthius ex familiaribus colloquijs, collatione studiorum , & honesta conuersatione cum doctis, animum expoliuit omni scientia, & virtutibus quæ ad hanc humanam societatem conducunt. Postquam autem magna cum laude Doctoratus insignia recepisset, Galliam relinquens in Belgicum venit : atque in florentissima illa Brabantia ciuitate Antuerpiana sesquiannum praxim Medicam exercuit, omnibus propter singularem doctrinam, successum in Medicina felicem, facilitatemque & candorem morum, acceptissimus. Ibi Germanis Mercatoribus, (qui ex omnibus, Germaniæ locis in illud celeberrimum Emporium frequentes conueniunt) statim innotuit : qui eius tamam longè lateque publicarunt. Factumque est vt ab Episcopo Duce Franconiæ Herbipolim ad Mænum euocatus, primarium inter Medicos locum adeptus sit per annos septemdecim. Vbi vxorem duxit Rosinam, Virginem lectissimam, Chilianii Brosameri filiam : nuptiæque celebratæ sunt 26. Septembris Anno Salutis 1569. Puella quod esset claris nata parentibus, singularibusque corporis animiq; dotibus excultissima, vnicè à Posthio dilecta est: quam & ipse ad imitationem antiquorum poëtarum Catulli, Tibulli, Corn. Galli, Ouidij, & aliorum doctissimis, & lepidissimis carminibus sub nomine Blandinæ celebrauit: vt testantur eius ingeniosissima, & tersissima Poëmata, quæ hodie manibus doctorum omnium tractantur. Ex hac Posthius, dum adhuc esset VVirtzeburgi, filiolum suscepit Erasmum, qui cum matre adhuc hodie superstes est, annum agens decimum sextum. Filiolam quoque mater pepererat nomine Mariam, quæ VVirtzeburgi decessit infantula. In ea Vrbe, (præter Episcopum, aliosq; optimates)

intima amicitia semper vsus est Erasmi Neusteteri Equitis Franci, Canonici VVirtzeburgensis & Bambergensis, Decanique Comburgensis, hominis eruditissimi, & de literatis omnibus optimè meriti: cuius fauore & patrocínio in omnibus vsus est, quandiu apud Herbipolitanos vixit: Atque pro acceptis beneficijs, ne ingratus aut immemor iudicaretur, illi sua Poëmata dedicauit. Præter hunc habuit amicum Musis & Apollini carissimum virum Nithardum Tungenum, VVirtzeburgensis Ecclesię Decanum, & Conradum Dinnerum Acronianum, plurimosq; alios insignes viros, tã Ecclesiastici quàm Politici ordinis, quos singulari studio coluit, & ab ijs mutua beneuolentia cultus est. Cumq; eius nomen per vniuersam Germaniam celebre redditum esset, vt eius doctrina honoraria aliqua mercede compensaretur, Rudolphus secundus Romanorum Imperator illum laurea Poëtica vltro donauit. Demum Heydelbergam ad Nicrum accersitus est à Friderico Electore Principe Palatino, vbi Archiatri munere, dum hæc scriberemus, magna cum laude fungebatur, opibus, honoribus, & bonorum omnium amicitia abundè cumulatus: vir comitate & integritate vitæ nulli secundus, corpore gracili, statura mediocri, ac quod dolendum est, valetudine parum firma: quem & Podagra subinde affixit, impeditque doctas illas meditationes, quibus suum nomen doctis scriptis posteritati commendat. Scripsit enim omnibus eruditissimis Poëmata, quę in scriptis Parerga Poëtica: Extant etiam eiusdem Hymni super Euangelia Dominicalia, Rhythmis Germanicis ab eodem compositi. Item obseruationes quædam Anatomica, & alia multa ad artem Medicam pertinentia, quæ cum plausu & Medicorum utilitate leguntur.



CLARISSIMO PRAE-
STANTISSIMOQVE VIRO,
IACOBO PRALLIONI CIVITATIS
Mediomatricorum Magistro.



TANTVM in se maiestatis & efficaciam ha-
bet præclara virtus, vt in quocunque in-
ueniatur, inæstimabiles de se affectus in
animis hominum moueat, & excitet.
Suscepit vita, & consuetudo communis,
vt doctrina claros viros in cœlum fama
& voluntate tollamus. Eos enim admi-
ramur, maximisq; efferimus laudibus, in quibus existima-
mus excellentes quasdam, & singulares perspicere virtutes:
quarum proprium est conciliare animos, & conseruare a-
micitias cum eis, qui dotibus animi peculiaribus reliquos
antecellunt. Eos enim qui rerum scientia & doctrina celeb-
res sunt, vbicunque gentium sint, etiam non visos, statim
diligimus, & tacita quadam benevolentia complectimur;
cupimusque eorum familiaritatem & societatem, vt ab iis
erudiamur, & familiaribus colloquiis iuuemur. Nemo cer-
te est, nisi plane barbarus & rusticus, qui bonas literas non
admiretur, & amet iis præditos: cum certum sit vitam ho-
minis sine literis mortem esse, & hominis sepulturam. Hinc
illa apud antiquos laudabilis consuetudo nata est, publicis
encomiis laudare Principes, & ciues de patria & republica
bene meritos, qui sua potentia & auctoritate clementer,

moderatè & prudenter vsi essent. Sed etiam eos qui populú scriptis, documentis, & scientiarum inuentis erudiuissent, & bonum publicum procurassent: quorum etiam statuas, & imagines, & statuas in circis, theatris, & Deorum templis publica Senatus autoritate locabant; partim vt meritis digna merces rependeretur; partim vt hic honos posteris esset tanquam vrgens stimulus, ad easdem virtutes amplectendas. Tanta fuit harum imaginum reuerentia, vt iis idem tribueretur honos, qui viuentibus deferri esset solitus; imò eas plurimos in Larariis priuatis sacrosanctè seruasse legimus: & in bibliothecis ostendisse videndos eorum vultus, quorum opera proponebantur legenda. Id quod in vsu hodie reducitur, vt autorum monumentis literariis effigies statuatur à libri principio. Multum quippe conducere videtur, eius faciem oculis cernere, cuius animum diuinum, ingeniiq; vim admirabilem in scriptis suspicis & admiraris. Et hos charitas humana nos docet reuereri, à quibus aliquid beneficii accepimus. Grata enim memoria prosequi eos, qui nos instituunt, siue scriptis, siue opera, laudabile est & honestum. Nemo tam ingratus reperitur, tamq; nullius humanitatis, qui si magistrorum, & bene meritorum hominum merita resumere velit, non eos æquè ac se ipsum diligit, eorumq; nomen cum grata recordatione non conseruet in sua mente. Nam & hunc finem laborum sibi proponunt vt plurimum literati viri boni, de omnibus optimè mereri, suisque vigiliis & lucubrationibus aliquam apud posteros laudem acquirere, laborumque mercedem ex fama futura capere. Nemo est tam auersus à Musis, qui non mandari scriptis æternum suorum laborum facile præconium patiat. Honos enim est præmium virtutis, iudicio studioq; ciuium delatum in aliquem. Gloria enim contentiens est laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium

DEDICATORIA.

19

de excellenti virtute, eaq; virtuti resonat, tanquam imago gloriae. Quae quia rectè factorum comes est, non est bonis repudianda. Et quod testatur Tullius: Nullam virtus aliam mercedem laborum desiderat, præter hanc laudis & gloriae: qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus. Certè, si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, nec tot curis vigiliisq; angeretur. Monumenta enim doctrinae longè præstantiora sunt ædificiis & structuris publicis. Hæc enim suo tempore senescunt, & consumuntur, illa æternitati mandata nunquam sentiunt interitum. Quid enim cum bonarum liberaliumque artium cognitioni conferri potest? ex qua morum eruditio, leges, politicus ordo, respublica, & ipsa societas humana in integrum retinetur: & sine qua mera barbaries mundo incubaret, vitæque hæc redderetur cæca, tristis, omnisque dulcedinis expers. Hoc enim præstant literæ, vt & publico ac priuato statui conducant. Et vt ait Cicero, si ex litteris delectatio tantum peteretur, tamen hanc animaduersionem humanissimam & liberalissimam iudicaremus. Nam cætera neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Sed studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quòd si ipsi neque attingere, neque sensu nostro gustare possumus, tamen eam mirari debemus, etiam cum in aliis videamus. Cum igitur pluri-
mos habeamus, quorum scriptis, & æternis lucubrationibus respublica literaria hodie in integrum restituta sit, vigeatq; & floreat mirum in modum, quis liberaliter educatus eorū

memoriam cum reuerentia non celebret? quis non gestiat eorum vultus cernere? At ex infinitis, qui celebres vixerunt superioribus annis, suntq; hodie superstitēs, quorumq; opera & virtute bonæ Musæ tot sæculis à nostris Academiis exules, ad lucem, & splendorem pristinum obscuris illis ignorantia tenebris depulsis reductæ sunt, paucos selegi, quorū vita & icones ad me peruenerunt, ex quibus breuem hunc librum concinnaui. Quòd si mihi Deus vitam proroget, ad dam postea illorum Philosophorum, Oratorum, & Poetarum vultus, quos prisca antiquitas tantopere mirata est: & quorum doctissimæ meditationes, & absolutissimæ lucubrationes vsque ad nostra tempora seruatæ sunt. At hoc opusculum tibi libens inscripsi, Vir clarissime, quòd & tu quoque doctrinæ sis admirator, & literatorum hominum excellens fautor & patronus. Non potui munusculum meū ex alia re componere, quàm ex qua præcipua tibi capitur delectatio & voluptas. Rationem autem ordinis ex dispositione non iudicabis, vel eorum, quorum vita hic describitur, dignitatem. Nam & postremo loco multi sunt, qui prioribus non solum pares sint, sed in multis longè superiores: Annorum modum & tempus, quo quisque vixit, & celebris habitus est, secutus sum, non personarum conditionem & statum: Quod & alios multos, qui hanc materiam tractandam susceperunt, factitasse videmus, ad quorum exemplum accommodasse scriptum, mihi vitio dari ne utiquam debet, opinor. Vale.

Tui studiosissimus J. I. Boissardus.

PETRVS



PETRVS LEPIDVS, RE-
GIORVM NEGOTIORVM SVM-
MVS PROCVRATOR APVD MEDIO-
maticos, Viridunenses, &
Tullios, in effigiem Iani Iacobi
Boissardi.

Hospes, qui vagus in scientiarum
Hortis expatiari, ut Minerva
Doctas ingenium excolas per artes:
Quem tu conspicias hic breui tabella
Expressum Bryij arte penicilli,
Ille est Sequanici ad Dubis fluentis
Boissardo genitus pariterque vates,
Phabo, & Castalijs Deis amatus.
Ille est qui facili stylo, & colore
Urbes Oenotriae, & situs locorum,
Portus, valla, pharos, lacus, cavernas,
Montes, & flumios scaturientes,
Diuersosq; habitus manu erudita,
Iconasq; virum celebriorum,
Descripsit, statuasq;, imaginesq;.

*Et prisca monumenta cuncta sacri
 Impensisq; laboribusq; magnis,
 Publicam utilitatem ut adiunaret
 Solers edidit artifex, typisq;
 Aeterni operis Theodorici
 Libro hoc proposuit tibi videnda.*

*Tu de te meritis bene has repende
 Grates, ut studium utriusq; vultu
 Sereno excipias, probesq;. Virtus
 florum expetit unicum hoc, nec ultra.*





PAVLVS MELISSVS CO-
MES PALATINVS, EQVES AV-
RATVS, ET CIVIS ROMANVS IN
eandem effigiem.

Cuius heic labia, & genas, comamq;
Lector, eminulam virente lauro

Admirantibus inspicis Camœnis,

Boissardus meus est vetus sodalis,

Amicusq; bonus, velutq; frater.

Nil versatur in evidente lingua;

Inq; ipsis oculis perenne fertur:

Omnis hæret in intimis medullis,

Diuerso varius colore pictor:

Vestium Phrygio nitore textor:

Carminum Latio decore fictor.

Ternis muneribus remuneravit

Me sodalis, amicus, atq; frater,

Pictura, & Phrygiaplica, & Poësi.

Quei discederet à sonante lingua?

Quei relinqueret is meis ocellos?

Aut quei desereret meas medullas?



GABRIELIS PAGAEI PA-
RISINI, IN ICONAS DOCTRI-
NA ILLVSTRIVM VIRORVM, A IA-
no Iacobo Boiffardo depictas.

*C*allida Zeuxis volucres ab arte
Predicant lusas, & acutiori
Post manus vinc̄tas tribuisse mota
Lite magistro.

*M*ira pictorum fuit illa, certè
Illius sacri celebrisq; dextra:
Decipit ficto nisi me iocosa
Fabula ludo.

*J*ane, quò solers hominum per ora
Pictor euadas, iuuat in labore
Emori, sinon aliqua virescas
Parte superstes.

*Q*uid de inauratis remanet tabellis,
Ille quas clara ingeniosus arte
Elaborauit, meliorq; tanta
Laudis Apelles.

Omnium

*Omniū quamuis oculos colore
 Carperent uiuo, & populi mererent
 Ora: de tantis mer a nunc supersunt
 Nomina factis.*

*Dum tua ad vitam reuocas papyro
 Cæsarum vultus, hominumq₃, quorum
 Clara vulgata est celebrisq₃, totum
 Fama per orbem:*

*Tu tua præscos ita solus æquas
 Arte pictores, sua quàm loquela
 Nil ut implet pateat labori
 Deesse. Sed illos*

*Parte quamancos superas, molesto
 A situ, tristi redimisq₃ letho,
 Gnaua quæ laui manus exarauit
 Pingere charta.*

*Namq₃ tu metris hedera, atq₃ lauro,
 Et cedro dignis celer effluentem
 Temporis longè cariem, & malignè
 Cuncta vorantis*

*A tuis arces tabulis: easq₃
 Ignibus sacris animas; ut atros*

D

Oppri-

Opprimant morsus venientis aui

Præpete penna.

Talem, Alexander, cuperes Achillis

Ingemens busto, cuperes Homerum

Cherili nugas cœmens, & unum

Oris Appellem.

IN





IN ICONES VIROVVM
DOCTRINA ILLVSTRIVM

IANI IACOBI BOISSARDI VESVN-
tini, Carmen Sapphicum

Philippæ Lacæe Polanæ Illyricæ.

DUM viros, clara quibus aura lucis
Fulsit antiquo celebrisq; sæclo
Fama, mirandis reuocare certas,
Jane, tabellis.

Tu tuum nomen, decus, atq; laudes
Porrigis, primo radios ab ortu
Quà vehit Phæbus celeri rotatu ad
Littora Calpes.

Et tibi debet studiosa summum
Turba quæ situm meritis fauorem:
Quam manu docta, & calami magistra
Arte beasti.

Sic placent gnauo facies labore
Principum picta, quibus Italorum

*Paruit quondam regio, simulq̄,
Dorica tellus.*

*Sic iuuat, quorum veneramur artes,
Dogma, virtutem, pia gesta, vitam,
Gratiam, roburq̄, scientiamq̄,
Cernere vultus.*

*Viuida quos sic oculis figura
Subiicis nostris, proprioq̄, gestu,
Ut putet quiuis ea signa veram
Ducere vitam.*

*Gratiam seclis tibi sic futuris
Adstruis: qua qui valuit potiri,
Dicier credo hunc potuisse ab omni
Parte beatum.*

IN





IN ICONEM IANI IACO-
BI BOISSARDI

Prosper Ventidius Vmber.

SCIRE *cupis quē Boissardū natura creauit?*

Externam faciem hic picta tabella refert:

Internam graphica signatam in imagine do-

Peligno dignum vate poëma dabit. (ctū, &

Si quos sustulerit, dum viueret ille, labores;

Quaq; habuit terra incommoda, quaq; mari;

Vita eius descripta docet. Simulacra Deorum,

Et genera, & classes, priscaq; religio,

Diuersis mandata libris, habitusq; virorum

Innumeri, antiquis eruta ruderibus

Urbis Romane monumenta autoris abunde

Ingenium & facilem dantq; probantq; manum.

D 3

SON-



SONNELET DE N. CLE-
 MENT DE TRELES, SVS LES
 MEDALLONS DES HOMMES
 doctes de Boiffard.

*L'Histoire seule refait
 Tous les faictz du temps passé
 Et la peinture pourtrait
 Les traitz du presq' effacé.
 La memoire n'a secret
 Dedans son temple enchassé
 Qu'une plume n'ait parfait,
 Ou qu'un pinceau n'ait tracé.
 Toy, qui sçais bien manier,
 Mon Boiffard, ces deux outils
 Tu peux t'oubly deffier:
 Car maugré les ans fuitis,
 Demeureront les beaux traits,
 De ta plume & pinceau faictz.*



QVI RATE VELIVOLA OCCIDVOS PENETRAVIT AP'IDOS
PRIMVS ET AMERICAM NOBILITAVIT HVVM



ASTRORVM CONSVL' ET IPSO NOBILIS AVSV
CHRISTOPHOR' TALI FRONTE COLVMB' ERAT



Hristophorus Columbus Almirans, ortus est Cucureo, Genuensis ciuitatis municipio: maiores eius oriundi Placentia erant, Liguriae vrbe, nobili stirpe Pilistrellorum: ipse prima iuuenta nauiculariam artem exercuit. Iusta statura homo, firma & habili membrorum compage, iudicio sano, ingenio excelso praeditus, leto & ingenuo vultu fuit. Acres illi & vigentes oculi, subflaua caesaries, os paulo placentius, in primis iustitiae studiosus erat: iracundiae tamen pronus, si quando commoueretur. Filium reliquit Didacum Columbum, qui nobilissimam foeminam Mariam, filiam Ferdinandi de Toledo, magni Comendatarij Legionensis, habere in matrimonio singulari virtute meruit. Alterum etiam filium reliquit Columbus Admiralis Ferdinandum, sui in Almirantis dignitate successorem, qui inter nobiles pueros Principi Hispaniae Domino Ioanni inseruientes educatus, postea patrem tertia in Indiam navigatione comitatus est. Almirans pater, vir studiis

addictus fuit, & egregiè in varijs artibus versatus, præsertim in Cosmographia, elegantem instituit bibliothecã duodecies aut tredecies mille voluminibus constantem, quam moriens Dominicanis Diui Pauli legauit Hispani, Iacobus siue Didacus Columbus post mortem patris vixit annos circiter viginti: ei successit filius Ludouicus Columbus, tertius Indiæ Occidentalis Admirallius. Hæc Ouidius & Gamara. Verùm vt paulo altius repetã Columbi huius res gestas, afferam quæ apud auctores de eodem scripta legi. Franciscus itaque Lopez de Gamara, in hanc sententiam scribit: Principio, inquit, Columbus nauiculariam exercuit & multis annis Syriam aliasque Orientis oras obiit. Inde indices marinos seu chartas nauigatorias cõficere aggressus, atque eius artis peritiam consecutus, vnde fortunam & opes postea nactus est, Portugalliam adiit, vt Australia Africae littora, & quæcunque tum Lusitani nauibus perlustrabant, cognosceret: atque ita non pauca accessione auctis & illustratis indicibus suis maiorem autoritatẽ præ-

cium

ciumque conciliaret. Postremo in eo regno uxorem ducit, vel, ut nonnulli tradunt, in Madera Insula, vbi tum, opinor, commorabatur, ibi Ergo cum esset, navis forte magistrum eò ex diuturno errore appellantem domi suæ excipit. Is Columbo omnem nauigationis suæ historiam exponens, quicquid de oræ à se repertæ situ & parallelo compererat, aperit, contenditque ut nauigatoria paginæ, quam ab eo emebat, nouæ illius terræ specimen, simulque eius nomen à quo inuenta esset, adscriberet. Interea Nauclerus ille moritur, indicium & relationem eius terræ Columbo relinquit. Inde Columbus primum nouæ illius Indiæ notitiam habuit. Idem scriptor postea subiungit: Ne quid intactum prætermittam, sunt qui Columbum linguæ Latinæ & Cosmographiæ peritum fuisse affirmant, cumque Platonis Timæum & Critiam legisset, vbi ille ingentis cuiusdam Insulæ Atlantæ meminit, & obrutæ aquis terræ, quæ Africam & Asiam amplitudine excederet, eò impulsus ad inuestigandas antipodum terras, & auream illam Marci Pau-

li Cipangon , qui in suo itinerario Cipango aut Zipangri hanc Insulam vocat, à Lusitanis primùm postea obseruatam & Iapon dictam. Ad hæc legisse apud Aristotelem vel Theophrastum in libro de mirabilibus, negociatores quosdam Carthaginenses à freto Herculeo in Occidentem & Meridiem nauigantes, tandem multis exactis diebus in vastam quãdam Insulam peruenisse, desertam illam quidem & incolis vacuam, sed rebus tamen humanæ vitæ necessariis abundè instructam & fluuiis nauigabilibus perfusam, quare vbertate illius illectos cum vxoribus & liberis eo commigrasse. Verum Carthaginensem magistratū, cum ciuium suorum numerum imminui animaduerneret, pœna capitis vetuisse, ne quis in posterum eò nauigaret. Non desunt alii qui ex coniecturis hanc nuper repertam Indiam celebres illas Insulas Hesperides esse æstiment, à Rege Hespero appellatas, ordine duodecimo inter Hispaniæ Reges. CLXXI. annis antequam conditam Troiam, & circiter M. D. CLVIII. ante natum Christum, & eos falli qui Hesperides

rides esse fortunatas Insulas, quas Canarias cognominant, censent. Solinus enim postremo suæ Cosmographiæ capite, ex veteris auctoris Sobesi assertione scribit, Hesperides ultra Gorgonas Insulas, nunc Capo Verde nuncupantur, esse circiter dierum quadraginta navigationem & in intimos maris sinus recessisse. Atque si rectè obseruemus tempus, quod in nauigationem impenditur à Gorgonum Insulis in occidentalem Indiam, reperiemus conuenire cum distantia, quam Solinus ponit inter Gorgonas & Hesperides, nempe 40. dierum nauigationem. Sed & Christophorus Columbus ipse in secunda nauigatione, qua reperit desideratam Marigalante & alias in hoc climate Insulas, tantundem temporis impendit. Hæc est quorundam opinio, supposito ergo hoc argumento Hesperides Insulas esse Indiam occidentalē, concludunt, ante circiter ter milenos ducentos & triginta septem annos istam Indiam Regibus Hispaniæ subiectam fuisse, vt nunc est.

Addit porrò Gamara de Columbo satis fi-

denter: Equidem Columbum, inquit, si suo Marte & ingenio ubi esset noua India cognosset, multo antequam in Hispaniam veniret, de ea peruestiganda cum suis Genuensibus acturum fuisse existimo, qui tum negociandi causa totum orbem peragrabant. Sed tale quid aggredi, ei nunquam venit in mentem, donec cū Nauclero illo Hispano egit, qui eam tempestate maris actus repererat.

Sed hæc vt fabulosa & indigna fide refellere non magni operis est. Petrus Martyr Mediolanensis, in eo quem de his conscripsit libello, Columbum ea de re cum ciuitate Genuensi egisse ante omnia testatur, simulque causam commemorat, quæ eum ad inuestigandas illas oras impulerit. Eius verba hæc sunt: Cum Columbus (inquit) pro suo more ac instituto, trās Gades in Portugalliam, & omnē illam Oceani oram nauigaret, sæpenumero animaduertit, & quidem multa cum cura & diligentia obseruans, ventos quosdam statis anni temporibus ab occasu flare consueuisse, qui multos dies constanti & æquabili tractu spirarent.

Quos

Quos non aliunde quã ex transmarina aliqua ora, cuius halitu gignerentur, proficisci posse iudicaret, tandiu circa eam rem cogitando animum versauit, vt eius certitudinem quære-
realiquando constitueret. Ergo annos natus ferme quadraginta, senatui & populo Genuẽ-
si coràm sua consilia exponens, spondit, se, si à ciuitate aliquot nauibus instrueretur, Her-
culis columnas præteruectum, tãdiu Occidẽ-
tem nauigaturum, donec orbem circumue-
ctus in aromatum feraces Insulas perueniret.
Sed eius rei inceptio tum primum audita, in-
credibilis videri omnibus, quibus videlicet ni-
hil tale vnquam ne somniantibus quidem, ve-
nisset in mentem, & nihil tamen eorum, quæ
ad nauigandi artem pertinent, ignotum esse
viderentur. Itaque omnes hanc Columbi cõ-
mendationem, ceu inanem fabulam, aut so-
mnum respuerunt, etsi forte accepissent ve-
terum scriptorum alicui proditum, de quadã
ingentis magnitudinis Insula, quæ multorum
dierum in Occidentem nauigatione à Gadi-
bus distaret.

Haud equidem dubitem eam ipsam fuisse causam, qua impulsus Columbus, nouas illas terras quærere aggressus sit : Vnde facile æstimare licet, Gamaram multis argutis commētis veritatem permiscere ac corrumpere conari, & quidem eo consilio, vt immortalē Christophori Columbi famam imminuat. Quippe agrè multi patiuntur, peregrinum hominem, & quidem ex Italia oriundum, tantum honoris & gloriæ consecutum, vt non tantum Hispanicæ gentis, sed & cuiusuis alterius homines superauerit.

Non alienum fuerit hoc loco quiddã narrare, quod Columbo in Hispania, vt accipi, contigit, posteaquam iam Indiam repererat, (etsi enim id olim quoque aliquando esset factum, recens tamen hoc inuentum eius est) Cum fortè Columbus celebri conuiuio cum multis nobilibus Hispanis adhibitus esset, & inter eos, vt fieri solet, de India sermo ortus esset, vnus eorum ita cum alloqui cepit: Domine Christophore, inquit, etsi tu Indiam non reperisses, non defuisset tamen in hac nostra
Hispa-

Hispania, qui idē ac tu tentasset: vt quæ multis magnis viris & ingeniosis abundet, Cosmographis & literatis. Ad ea Columb^o nihil prorsus respondit: sed ouo afferri in triclinium iussu & mensæ imposito, verso ad omnes sermone: Agedum, inquit, domini mei, cum quolibet vestrūm deposito in cænam pignore certo, neminem eorum qui hīc sunt facturum ouo isto, quod ego factururus sum; nempe vt nullo nixum adminiculo stans & erectum in pedē suo opte nutu maneat. Experti sunt omnes, neq; vlli eorum successit: sed cum circumactō orbe ad Columbi manus peruenisset, ipse ouum altero eius fastigio mensæ illiso, ac leniter quassato rectum firmumq; constituit. Ea res omniū animos verecundia pupugit, postquam vtique illis patuit, quid sibi tacitis ambagibus vellet: nimirū id; postquam primus ipse tentasset, iam apertum omnibus, & factu facilē esse, debuisse ipsos potius principes Indixæ quærendæ viam rationemq; inire, nec se ridere, qui primus id experiri ausus esset, sicuti antè id cœptati mirabundi illusissent, quasi

rem impossibilem aggredienti. Reuertar nūc ad institutum. Quare vt cognouit Christophorus Columbus ad tam præclari operis inceptum suscipiendum in Genuensibus parū opis sibi esse, transgredi vlteriùs in Occidentē statuit: spe haud dubia fore, vt ab aliquo Principū, quorum ibi diuitiæ atque opes inclitæ essent, rebus ad eas quas ardentè deperiret terras explorandas necessariis aliquando instrueretur. Itaque in Portugalliam concedēs, inde fratrem suum Bartholomæum ad Henricum VII. Angliæ Regem mittit, qui fauorē & naues Indiæ vestigandæ peteret: promittens, se breui ex terris illis incredibiles diuitias allaturum. Sed Bartholomæus inde irrita spe & sine ope redijt. Itaque cum Alphonso V. Portugalliæ Rege Columbus eam rem communicat, eumq; supplex rogat, vt sibi naues aliquot armis & commeatu instructas tradi iubeat, se verò fidem ac iusiurandum dare, tandiu in Occidentem nauigaturum, quò ad ditissimas auri, gemmarum, aliarumq; deliciarum, quibus precium est, prouincias perueniret,

ret. Verùm sicuti Columbus à Genuensibus suis pro vano habitus erat, ab Anglis ridiculus, ita tum quoque à Lusitanis pro futili & deliro circulatoro derisus est. Erāt tum in Lusitania homines, qui Cosmographicam artem profitentes, nullam se eius partem ignorare arbitrabantur. Itaque superciliosè Columbū despicientes, Regi suadebāt, ne quam peregrini hominis somnijs fidē adhibere vellet, quippe amentem esse, neque in Occidente aurum aut diuitiarum quicquam existere posse, veluti exploratū affirmabant. Imò neminē subiectam æquinoctiali lineæ plagam transgredi posse, quin immodicis solis ardoribus torreretur, siquidem eo in spacio maiorem æstus esse vim, quā perpetua inter duos tropicos solis orbita & cursus est.

Columbus vbi in Portugallia se ac verba sua ludibrio esse vidit, in Castallam profectus, aulam Ferdinandi & Isabellæ Regum adit, eisque suas cogitationes vt cæteris exponit, simulq; eas quàm efficacissimis potest rationibus, exemplis & testimonijs confirmat. Sed il-

lis, etsi principia ipsa arriderent, incredibilia polliceri videbatur. Tandem consumptis aliquot in aula annis, cum in proposito constanter perseueraret, & tantæ rei spem exemplis, & demonstrationibus euidentissimis confirmaret, ad extremum quorundam Hispaniæ procerum ope atque interuentu, aditum ad Isabellam Reginam obtinuit: itaque tempus familiariter cum ea colloquendi nactus, adeò firmissimis rationibus eam labefecit, vt dictis suis assensum fidemq; præbere cogeret: donec tandem persuasa promitteret, se ea de re cum Rege acturam, omniq; ope atque opera enixuram, ne quid illi rei ad inceptum illud exequendum necessariæ deesset. Quamobrè breui, Deo bene iuuante, & magnanimæ eius Reginæ supplicatu, Rex Ferdinandus liburnicam vnâ, & duas carauellas Christophoro Columbo instructas & armatas tradit.

Ipse cum Bartholomæo fratre ineunte Augusto, Anno, M. C C C C. X C II. è Palos portu vela in altum faciens, Gomeram Insulam tenuit, quæ vnâ è septem Canariis est. Ibi aliquot

CHRISTOP. COLUMBUS. 45

aliquot dies commoratus, vt aquam & cætera inde necessaria sumeret, cœptum iter Occidentem solem secutus, peragere institit.

Porrò cum emensa aliquot dierum navigatione, nondum terra vlla in conspectu esset, milites in Columbum fremere incipiunt: ille mitigatis eorum animis, triginta quinque dies nauigãdo extrahit, neq; vlla tũ quoq; tertæ nota aut indicium apparebat. Itaque socij apertè Colũbo minari, & probra pro se quisq; ingerere, Genuensem impostorem & planum palàm vocitantes, quippe nescire eum quorsum tenderet, aut quò appelleret, & se eius ductu in certam perniciem ruere. Hic Columbus pro virili simul rationes suas firmare, simul eos precari, orare, ne animis per impatientiam deficerent, sibi spẽ esse, Deo bene iuuante, breui terram nouam in conspectu fore: his tum vocibus sedati, cum aliquot præterea dies nauigassent, nec vlla tellus occurreret, fremitum in nauibus redintegrant, & se reduci iubent, alioquin pertinacius vltra tendentem in mare proiecturos, quippe vltèrius progredientibus

non suffecturos commeatus , maximè aquã ,
 quæ in Hispaniam reuerfuris necessaria foret.
 Ad extremum eò res redijt, vt promitteret re-
 uerfuros , nisi intra triduum terram vidissent,
 interea perspicuè ostendens , non tantum suf-
 fectura ad reditum alimenta , si moderatè uti
 vellent, sed multò etiam longiùs. Itaq; prospe-
 rè iter exequi pergens , postridie eius diei de-
 mitti vela iubet : ac credibile quidem est, cū
 id diceret Columbus , haud procul terrã ab-
 fuisse, idq; ex cœli conspectu deprehendisse,
 aura & nubeculis , quæ circa orientem solem
 in horizonte apparerent : aut certè instinctu
 quodam ingentis & inuicti animi.

Nocte, quæ eum diem secuta est, nauta
 quidam Lepicensis, è summo mali fastigio alta
 voce proclamans , ignem inquit, ignem pro-
 spicio, tum è vestigio excipiens adolescens qui-
 dam, Salsedo nomine, Colūbi famulus, nau-
 tæ hæc proferenti respondit, Talassiarcha meus
 herus iam ante id dixit, tum Columbus famu-
 li responsum confirmans , verum est, inquit,
 iam ante dixi, nec diu est , quòd illum ignem,
 de

CHRISTOP. COLUMBUS. 47

de quo est sermo, conspexerim. Atque adeò verum est, quodam die Iouis, duabus horis post mediam noctem, Columbum euocasse nobilem quendam virum Hispanum, nomine Escobedo, Regi Hispaniæ à cubiculis, & dixisse, ignem video, nec procul à terra aliqua abesse se suspicari. Itaque solum Columbum manet gloria conspectarum primū Indiarum. Quāta itaq; omnes voluptate perfusi fuerint, postquā nouam eam terram conspexere, nemo dicendo assequi possit: alii perfusi lachrymis Columbum amplectebantur: nonnulli venerabundi manus eius deosculabātur, & qui eum offenderant, ignorantia petebant veniam: denique omnes sese admirandæ eius virtuti humiles seruos ac deuotos ferebant. Interea Columbus demitti scaphā in mare iubet, egreditur in terram, & deiecta arbore crucem ex ea factam in nomine D. Iesu crucifixi in littore statuit, ac noui illius mundi ius ac possessionem Regum Catholicorum nomine vsurpat. Hoc modo Columbus propria virtute atq; ingenio secundum Dei gratiā, primus Indiam nouā aperuit.

Neq; minus tamen ex tam mirabili opere, cuius ipse autor & effectorexitit, mille in eum inuidorum calumniæ exortæ sunt, vt mox dicam. Primum enim regij fisci procuratores, postquam in Hispaniam reuenerat, littem ei intenderunt, iam à fratribus Pinzonib. Martino & Francisco, duarum carauellarum magistris, apud Regem accusato, quòd nisi ipsi eum à foedo incepto deterruissent, regredi in Hispaniam ex itinere non visa India parasset: quæ lis nec post eius morté, annis viginti post, cum filij eius morte finita fuit.

Ad eum itaque modum Columbus arte Cosmographica excellenter instructus primus Indiam Occidentalem aperuit: Cubæ Insulam detectam Fernandinam in memoriam gratiamq; Ferdinãdi Regis nuncupauit: Haytin Insulam Hispaniolę nomine insignijt, portum illic regium celebrauit. Hispani, cum neminem ex omni Indorum multitudine viderent, cui non aurum & argentum in brachijs, collo, & auribus fulgeret, ingenti gaudio perfusi sunt. Cæterùm cum peteret Columbus ex
indige-

CHRISTOP. COLUMBUS. 49

indigenis, vnde metallum illud fuluum nanciscerentur, illi nutibus & signis demonstrant, è quibusdam fluminibus mediterraneis peti, quæ ex altissimis montibus decurrerent. Columbus ipse nõ mediocri lætitia affectus, propter nouas illas repertas terras, auri adeò & argenti feraces, cum Hispaniam repetere, & alterius inuenti mundi nuncium ipse Regi ferre cuperet, cum bona Caici gratia, domum cocto laterculo extruit, eo loco duodequadraginta Hispanos relinquit. Hæc prima domus ab Hispanis in India extracta est. Columbus cum reliquis soluit, inde secum sex Indos, omne aurum quod à Caico acceperat, Psittacos & alia Indiæ noua referens, prospero cursu, & incolumibus omnibus in Hispaniam peruenit. Appulsum Rex & Regina quàm honorificentissimè exceperunt, considerare eum coram se iubentes, & in aula quidem Indos à se aduectos, quòd prorsus nudi essent, mirabundi omnes intuebantur. Rex verò Columbum insignibus honorum titulis auctum, summũ Oceani Præfectum designat (Almirantem

vulgò appellant) & ei omnium regionum ex India redituum decimam attribuit. Bartholomæum quoque ipsius fratrem Hispaniolæ Insulæ præficit. Columbus omnem Regi itineris, & rerum ab se gestarum successum exposuerat, & præterea gradu ex ea Insula facto, amplissimas, & ditissimas alias oras aperturum se promiserat. Itaque Rex trium liburnicarum, & quatuordecim carauellarum classem instrui iubet, & in eam ultra mille ac quingentos homines imponi, maximam partem mechanicarum artium opifices, & quidem earum, quæ illi terræ maximè necessarię essent: tandem rebus omnibus instructus, Anno 1493. die 2. Sept. è portu Calicio soluit. Columbus itaque iam Almirans regius in Indiã renauigans multo alacrius quàm prius secabat fluctus, quatuor Indos reuehens, quos Rex baptizari curauerat. Delatus in Hispaniolam Insulam, principium Coloniae dedit, quam in memoriam Isabellæ Reginae Isabellam vocauit: mox ad Cibau aurarias (is locus est Insulæ, vnde aurum effodiebatur) arcem extruit & munit, Bartholomæ-

CHRISTOP. COLUMBUS. 51

lomæum fratrem Insulæ Præfectum relinquit. Aperit deinde Cubæ latus meridionale, & Lamaicam & alias Insulas. Portum S. Nicolai nomine insignem facit, morbo deinde correptus, simul ac conualuit, in Hispaniam regreditur, vt se purgaret de supplicio ab Hispanis sumpto, Vela itaque in Hispaniã secundo cursu facit, Regi nouas ab se repertas terras exponit, aurum & alia rara offert, aduexerat tantũ auri, vt aliquot etiã palę librales essent. Deinde ex commentarijs, quæ attulerat, actorum eius integritate perspecta & probata, Rex eum vltro consolatus, gratias quoque pro tantis eius in se meritis atque officiis egit, monuit tamen vt in posterum pœnarum acerbitate remissa, cum Hispanis, qui tam longinquas terras sui obsequij causa peterent, paulò mitius ageret. Mox duodecim carauellas armari iubet, easq; omni genere commeatus instructas Columbo ad nouam expeditionem tradit. Ipse confestim duo ex ea classe nauigia ad Hispaniolam rectà tendere iubet, & vt fratrem suum adeãt, edicit. Almirans è portu S. Lucari soluens, cũ

reliqua classe Anno 1498. 28. Maij cursum in Maderam direxit, ea vna est ex septem Lusitanorum Insulis, quas illi Azorias appellant, & cum vix tandem Indiam attigisset, in Cubaguam appulit, quam ipse perlarum Insulam nuncupauit. Detecta vnionum Insula Cumanæ fluminis ostium inuehitur, inde soluit, & Velicaput circumuectus, mox traiecto mari breui in Hispaniolam appulit, vbi omnia plena tumultibus reperit. Cùm verò toti in eo essent, Almirans & eius frater, vt regulos & rebelles populos in Regis fidem reducerent, eodem tempore literæ tum ipsius Almirantis, tū Roldani rebellis in ea Insula in Hispaniam peruenierunt, quæ res non mediocri dolore Regē & Reginam affecit, cum res Hispaniolæ adeo turbatas, & miserum rerum statum intelligerent. Nobiles per omnē aulam spargunt, Columbum & eius fratrem iam partis opib. quæ priuatum modum excederent, Insulas pro se vsurpare velle, & nuper repertæ oræ omnis principatum inuadere. Rex itaque nouum Insulæ Præfectum mittit. Almirans & Bartholo-

mæus

meus frater, noui Præfecti appulſu audito, ad eum honorificè excipiendum, vt regio miſſu venientem reuerenter obuiam egreſſi ſunt. In portum vt peruenerant, rati vt ſibi, ſic alijs ſincerum animum eſſe, pro amica complexus & ſalutationis vice capti fratres in vincula traduntur, mox iniectæ vtrique catenæ, & ſeiuncti alter ab altero, quo grauius dolerent duabus carauellis in Hiſpaniam mittuntur. Miſerabilis equidem caſus, ac mutationis rerum humanarū exemplū memorabile, &c. Simul ac celoces in Hiſpaniam venerunt, & nunciatum Regi, tam claros viros compedibus vinctos a deo fœdo ac miſerabili habitu adduci, motus in miſericordiam Rex, curſore Calicium miſſo, emitti illos è cuſtodia, & leuari vinculis iubet, deinde ſplendido comitatu cultuq; vt talibus viris dignum erat, in conſpectum ſuum venire. Vt in Regiam peruenerunt, comiter excepti & auditi ſunt, ac cum ibi obtinuiſſet veritas, pœnæ in noxios decretæ, ſtatim etiam à Regibus dignitates priſtinæ, reditus & ſtipēdia, quæ ab eo tempore, quo in carcerem cō-

iectione fuerant, ipsis ablata erant, restituta sunt. Noluerunt tamen, ut ad Indiarum gubernationem redirent, quoniam animaduvertebant nimiam esse morum ipsius cum Hispanorum moribus antipathiam. Cum enim vir esset integer, & gratiam Dei in se collatam in orbe illo ignoto reperiendo agnosceret, ægrè ferebat tam egregium donum libidine, vitæq; inordinata Hispanorum contaminari, atque Indos, quos ad Christum adducere conabatur, instar asinorum & mulorum haberi.

Quartam insuper navigationem Columbus in Americam instituit, de qua & quæ reliqua ad vitam eius pertinent, in quarto Americanæ historiæ libro, cuius infra mentio fit, latius agitur.

Non ita multò post, Columbus fesso ægroq; tot itinerum laborib. corpore, in morbum incidit, neq; longè post, grauescente eius valetudine indies, extinguitur, cum ita honoratæ vitæ suæ cursum clausisset, octaua die Maij Anno 1506. corpus eius, ut testamento cauerat, Hispalim delatum in Cœnobio

CHRISTOP. COLUMBUS. 55

Fratrum Certosinorum humatum est. Eum propter excellentem Cosmographiæ peritiã, tanquam orbis ingeniorumq; præfectum generalem hoc loco præmittere volui, quo reliqua mundi luminaria huius radiis magis illucescerent. Qui fusius de rebus ab eo gestis inquirere auet, legat Americanarum rerum librum quartum à Theodoro de Bry elegantissimis iconibus illustratum, & publicè in lucem editum.

G 4 AZO

FORNICATIONE
PUNIRE DEBENT





AZO BONONIENSIS.



VLTVM est benè vixisse, suo sæculo profuisse, & de omnibus benè fuisse meritum, & laudem præcipuâ inter suos fuisse adeptum: attamen paucillum id existimatur, si tantorum bonorum atque honorum fama ad posteritatem non propagetur. Cum igitur ex infinitis hominibus literatis, & bonarum disciplinarum scientia claris, breuem numerum desumpserim hoc opusculo tractandum: eos tantû excepi, quorum imagines mihi communicatae sunt: & descriptio vitæ vniuscuiusq;, quæ licet in plerisque breuior & contractior videatur, quàm lectoris desiderium requireret, cum fufiorem totius vitæ explicationem non potuerim apud recentiores auctores inuenire, benigno lectori sufficient hæc paucula, quæ à nobis in medium proponuntur. At cum in de-

scriptione vitæ alicuius, cōsiderandum statim occurrat, quo loco, quibus parentibus natus sit, qui, qualesq; illius mores, quæ doctrina, & quæ ex ijs omnibus commoda & incommoda per totius vitæ seriem subsequuta sint, ex quibus apparet, in his patriam, parentes, animi corporisq; habitum obseruari debere. Cum igitur res ita sese habeat, ex ijs omnibus, quorū vitā tractaturi sumus, Azonem illum Bononiensem Iurisconsultum tota Italia celebrem assumemus, à quo principium ordiemur, non quòd reliquis sequentibus præferendus sit, sed quòd in hac classe annorum serie præcedat: à quo progrediemur vsque ad eos, qui nostro tempore doctrina & eruditione florent.


Azo igitur Bononiensis natione fuit, parentibus honestissimis & luculentioris fortunæ genitus, qui filium statim à pueritia bonis disciplinis institui curauerunt. Adultiorem tandem attingens ætatem, Ioannis Bosiani Cremonensis viri doctissimi auditor fuit: Præceptoriq; nō inferior doctrina & iurisprudencia. Quam scientiam summa felicitate exercuit,
dum


dum viueret, tam scribendo quàm docendo publicè. Tanta enim auditorum frequentia legisse dicitur, vt Bononia scholasticorum Iuris plena fuerit, qui eò confluebant ex omnibus Italiae & Galliae regionibus, exciti fama celebri tam excellentis Doctoris, cuius solertia plurimi insignes Iurisperiti redditi sunt. Florebat enim Azo temporibus Friderici secundi Roman. Imp. Anno salutis 1230. Multa ad Ius civile pertinentia opera edidit, quibus apud posteros famam acquisiuit æternam: vt summam Iuris notabilè. Super Digesto veteri libros 24. Super codice lib. 9. Præterea optimos in Legibus adparatus confecit: & pluribus summis additiones apposuit.

Eius discipuli fuerunt plurimi fama celebres: Inter quos fuit Bernardus de Orna Pro-uincialis, qui librum de conceptionibus libellorum conscripsit.

Odofredus Beneuentanus eiusdem auditor fuit, qui & Iacobi Baldouini Præceptor fuit: cuius opera sunt de libellorū formatione, de Ordine Iudiciario, & de arte Notariatus.

Sed inter eius auditores numeratur Magnus ille Acurti^o Florétinus: qui celebris vivebat sub Friderico II. Rom. Imperatore.





THE UNIVERSITY OF CHICAGO
 LIBRARY





ÆGIDIUS DE FOSCARARIS.



ÆGIDIUS de Foscararis, siue vt alij malūt, de Foscarijs, Bononiensis patria, parentibus Patricijs, & locupletibus oriundus, qui filiū bonis literis instituēdum à pri-

ma statim pueritia procurarunt. Is vt ingenio erat acuto, & diligentia singulari, laboribusq; in studio indefatigabilis, breui temporis spatio tantum profecit in re literaria, vt coēuos, & condiscipulos rerum cognitione & scientia bonarum disciplinarum longè superare à Preceptoribus judicaretur. Adultior factus, animum addixit ad studium Iuris: in quo sine difficultate excellēs redditus est, tam in Iure Canonico, quàm in Legibus Imperialibus, & consilijs, in quibus perfectissimus habebatur, & apud omnes Italos celebris.

Scriptit De ordine Iudiciorum libros 5.
De officio Tabellionatus lib. 1. & Quæstiones
varias

64 *ÆGIDIUS DE FOSCARARIS.*

varias Iuris, quæ omnia commendantur maximè ab ijs, qui Iurisprudentiam tractant.

Mortuus est Bononiæ, sepultusque in cœmiterio templi S. Dominici, sepulchro marmoreo & eminenti, cum hac inscriptione:

M. CC. LXXXIX. IND. II. DIE IX. IAN.

ÆG. D. FVSCARARIS DCR. MORTE

QVIESCIT. C. DOCTO. H^c. EGIDIUS

MOIBZ. EXIMIV^o. C. DVX VIR LVSTRATOR

STVDII VERIQ. REPERTOR C.


CANONE FVLCITVS MTEQ. DE. SOLIDVS.

C. CL^o RVM CL^o SIS CLEMENS

VT SIS SIBI TESTIS.









ALBERTVS MAGNVS.



ALBERTVS Bolstadius,
propter doctrinam & Phi-
losophiæ studium, discipli-
narumq; omnium bona-
rum exactam cognitionē,
Magni cognomento ap-
pellatus, natione fuit Sue-

uus, Lauingæ oppido non procul à Danu-
bio sito, natus est parentibus honestis, Anno
M. CCXCIII. Is à prima ætate bonis
literis institutus Parisios se contulit, vbi Philo-
sophiam, & Aristotelicam doctrinam magna
cum laude, & auditorum frequentia profes-
sus est. Vnde post aliquot annos Coloniam A-
grippinam se conferens, habitum Fratrum Præ-
dicatorum suscepit: docensq; bonas discipli-
nas, inter innumeros, quos habuit, discipulos
familiarissimè vsus est SS. Thoma Aquinate,
& Bonauentura, qui duo postea in clarissimos
viros euaserunt, & sua tempora, posteritatem-

que doctissimis scriptis illustrarunt. Albertus verò propter insignes animi dotes, perfectâq; in sacris literis, & Philosophia cognitionem, vocatus est Ratisbonam Boiorum ciuitatem clarissimam, communibusq; Principis, & Sacerdotum omnium, populiq; suffragijs Episcopus tam clarę vrbis factus est. Qui cùm aliquot annis eam Ecclesiam summa cum laude & integritate rexisset, quia videbatur publicis his occupationibus à studijs priuatis distrahi, functionē hanc onerosam alteri cessit, & Coloniam Vbiorum reuersus est: vbi in suo monasterio priuatus reliquum vitę exegit docendo & scribendo. Illicq; Anno ætatis 87. mortuus est, Christi verò 1280. Rudolpho Romanorum Imperatore regnante. Sepultus in medio templi choro. Necromantum & Magum illum quidam contumeliosè traduxerūt, quę constat vitæ sanctimonia & integritate clarū vixisse.

Eius opera propè infinita recitantur: inter quę hæc censentur præcipua. Summa Theologiæ libri 4. Super sentētias libri 4. De

4. coëuis lib.1. De homine lib.1. De bono lib.1. De vita spiritali lib.1. In officium missæ lib.1. De corpore Christi lib.1. De eodem 32. sermones lib.1. De muliere forti lib.1. Super libris Dionysij libri 5. De multiplici timore lib.1. De laudibus S. Mariæ lib.3. Defensio mendicantium ordinum lib.1. De partu & formatione hominis lib.2. De origine animæ lib.1. Super oratione dominica lib.1. De arte prædicandi lib.1. De reparatione lapsi lib.1. De adherendo Deo lib.1. In quinque libros Mosis: In libros Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, In Esdras, Nehemiam, In Tobiam, In Iudith, In Hester, In Prouerbia, In Ecclesiastem, In Cantica canticorum, In librum Sapientiæ, In Ecclesiasticum, In libros Machabæorum, In Iob, In Prophetas Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielelem, & in alios 12. Prophetas: In Euangelium secundum Matthæum, Lucam, Marcum, & Iohannem. In Epistolas Pauli. In Apocalypsin. Præterea Sermones de tempore, De Sanctis, De Animalibus libri 20. Paradisû animæ lib.1. Orationes super Sen-

tentias & Euangelia. De differentia Spiritus & animæ. De diuinatione, & Prophetia. Diuerfarum quæstionum lib. 1. De natura locorum. De causis elementorum. De motibus animalium. De intellectu, & intelligibili. De iuuentute & senectute. De vita & morte. De plantis & vegetalibus. Summa Philosophiæ. De vnitate intellectus. Quæstiones contra Auerroistas. De vnitate formæ. Philosophia moralis. De Monastica. De œconomica. De politica. De Arithmetica, Geometria, Musica, Astronomia. De Sphæra. De astris. Speculum Astronomiæ. De mineralibus. De natura Deorū. De secretis naturæ. De 12. Alphabetis. De magistris eligendis. De somnijs. De vniuersalibus. De prædicamentis. De sex principijs. De diffinitionib. De causis. De Grammatica. De Rhetorica. De medicina. De lanificio. De agricultura. De aratura. De nauigatione. De metaphysica lib. 13. In Physicam Aristotelis lib. 8. De cœlo & mundo lib. 4. De generatione & corruptione lib. 2. De scientia meteororum lib. 4. De anima. De nutrimento & nutri-

ALBERTUS MAGNUS. 71

nutribili. De somno & vigilia. Quæstiones 15.
De perspectiua. Et in omnes libros Aristotelis:
Et alios plurimos tractatus scripsit: vt de Ma-
gia, Librũ de aggregatione. De periculo mis-
sæ. De sacramentis. De immortalitate animæ.
De apprehensione: & de metallicis libr. 5. qui
impressi sunt Argentinæ Anno 1341. cum Rai-
mundi Lullij libris de quinta essentia.

Hæc tam varia rerum diuersarum cog-
nitio, vita solitaria, rarus cum hominibus con-
gressus, & admiranda vitæ austeritas, qualis ef-
se solet in vita contemplatiua, bonum virum
suspectum reddiderunt apud inuidos, & viros
malos, qui omnes ex se metiuntur, malæ cum
Genijs & dæmonibus conuersationis: quam-
vis eius vita, & scripta longè aliter de eo testi-
monium reddant.







DANTES ALIGERVS.



ANTES Aligerus Poëta
 sui sæculi nulli secundus I-
 talus natione , patria Flo-
 rentinus , vbi octoviratū
 summa inter suos potesta-
 te exercuit : erat enim pa-
 rētibus claris, & diuitibus
 genitus, & ab ipsa prima ætate omnibus disci-
 plinis, & Philosophia optimè institutus : Et
 ideo inter suos summo loco, & autoritate ha-
 bitus. Vnde tamen bellis exardentibus, & fa-
 ctionibus publicis pressus, cum aliis plurimis
 exactus est. Ex Italia primùm se contulit in
 Galliam. Lutetiæ Parisiorum propter excel-
 lentem bonarum literarum cognitionem pri-
 mo in honore exceptus est : vbi sæpe magna
 omniū admiratione, & applausu publicè di-
 sputauit, tam in Philosophicis, quàm in sacris
 literis: primamque laudem inter viros doctos

fui temporis adeptus est. Tandem à Rege Aragonum accitus, ab eo singulari honore cultus est, & multis beneficiis exornatus. Cumque in patriam reditum desperaret, contraria factione primum locum inter Florentinos vsurpante, essetque omnibus Italiae Principibus, & ciuitatibus propter virtutem, & doctrinam carissimus, vt exilij tædia dulci aliqua consolatione leniret, ad scriptionem animum adplicuit: Erat enim non tantum Græcè & Latinè peritus, sed in lingua Hetrusca facundissimus: propterea quoties ad colloquia Principum admittebatur, tanta sermonis elegantia, tanta vbertate, & eloquentiæ floribus omnium in se animos cõuertebat, vt nemo illum nõ diligeret, & admiraretur. Viuebat eo tempore inter omnes Italiae optimates fama celeberrimus Canis Scaliger, cognomento magnus, propter magnanimitatem & virtutes: Veronæ principatum tunc obtinebat, maioremque anni partem Sirmij, quæ est Insula lacus Benaci, moram faciebat, consortio doctorum virorum vnicè delectatus: Is ad se Dan-

tem

DANTES ALIGERUS. 75

tem accersit, & multis muneribus exornavit: cum enim princeps esset doctus, eloquens, & liberalis, omnibus literatis suas ædes tanquam Musarum diuersorium proposuit. Dantes igitur huius liberalitate, sicut aliorum Principum donis, locupletior redditus, exilij sui acerbiter moderatius tulit: Otioque blandiore fruens, totum id tempus, quod illi reliquum fuit à publicis occupationibus, scriptioni impendit; in qua studij parte hodie quoque cæteris Italis merito præfertur. Scripsit enim Comædiarum lib. 1. De Monarchia mundi lib. 1. Epistolas plures, & disputationem de aqua & terra: quæ Mantuæ inchoata Veronæ tandem decisa est. Scripsit & Hetrusco sermone poemata doctissima de Paradiso, Purgatorio, & Inferno. Mortuus est tandem Rauennæ Anno Christi 1321. Ludouico Bauaro Imperium Romanorum moderante: eius sepulchrum visitur Rauennæ marmoreo sacello, ubi eius simulacrum erectum est pluteo incumbens: parte superiore sub arcu inter palmæ & lauri incuruatos ramos, maiusculis literis scul-

ptum est, honori & virtuti. Infra verò arcæ,
qua inclusum seruatur Dantis corpus, hæc in-
scriptio legitur tabula marmorea:

*Iura Monarchia, superos, Phlegethōta, lacusq;
Lustrando cecini, voluerunt fata quousque:
Sed quia pars cecit melioribus hospita castris,
Actoremque suum petijt felicior aëtris,
Hic claudor Dantes patrijs extorris ab oris;
Quem genuit parui Florentia mater amoris.*

IN EODEM SACELLO AD SI-
nistrum parietis latus lata tabula mar-
morea hoc inscriptum est.

EXigua tumuli Dantes heic sorte iacebas
Squalenti nulli cognite penè situ:
At nunc marmoreo subnixus clauderis arcu,
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Nicusis Bembus incensus Hetruscis,
Hoc tibi quem in primis hæc coluere, dedit.

Anno salutis M. CCCC. LXXXII. VI. KAL.
I V N. Bernardus Bembus ære suo posuit.

EIVS MODI Epitaphia plurima olim ex-
cepi multis in Europæ locis, cum delinia-
tione genuina marmorum, signorum & ædi-
ficiorum: quæ licet mihi ex maiori parte bel-
lis his ciuilibus perierint, supersunt tamen
adhuc aliqua, quæ Deo volente, si vita sit su-
perstes, a heneis typis excussa in publicum da-
turus sum.





*Italia scriptis vixit celeberrimus omni
Qui nunc Euganeo colle Petrarcha jacet.*



FRANCISC. PETRARCHA.



Nno Domini 1300. cum Florentia in factiones duas albam & nigram (ita dictæ sunt ab amictu capitis discolori) diuisa esset: nigriq; antea vrbe per violentiam expulsi essent, patriæ tandē restituti, albos ciuitate exegerunt, bonis eorū ad fiscum publicum relatis. Inter exules fuerunt Dantes Aligerus, & Petrarca cognomēto de Parenzo. Hic cum Brigitta vxore nobili muliere, ex familia Canigianorū orta, Aretiū se contulit: vbi Anno 1304. 20. Iulij natus est illis Franciscus filius. Quidam volunt natum fuisse apud Ancisam, agri Florentini vicum, vnde infans in cunis cum parentibus Aretium deportatus est: Inde paulo post cum tota familia Pisas profectus est, studens qua posset ratione, Pisanorum fauore & sollicitatione, Florentiam

rentiam reuerti: Sed cum in patriam reditum
nō posset impetrare, nauigium nactus oppor-
tunum, quod in Galliam nauigabat, Massili-
am petiuit, vnde Auenionem cum tota fami-
lia migravit. Erat enim Auenione Pontifex
Romanus. Ibi primū Franciscus puer, vt erat
ingenio excitato & docili, bonis literis institu-
tus est: iamque factus adultior, à parentib. mis-
sus est Carpentoratū, postea ad Montem Pef-
fulanum, vbi quadriennio integro legum stu-
dio dedit operam, annosq; iam natus viginti-
tres, mortuo vtroq; parente Anno 1327. Aue-
nionem discedens, recepit se Valclusam. Villa e-
nim erat quinque ab Auenione Leucis Galli-
cis, vbi prædiola quædam, & domū antea coë-
merat eius pater. Cumque illic loco amœnif-
simo aliquādiu habitasset, vt erat ingenio bo-
no, comi, & faceto, cōuersatus est familiariter
cū Cabrieni domino, qui filiā habebat Lau-
ram nomine: Puellæ forma & venustate al-
lectus Petrarcha, eam ardēter deperiit: quam
postea æterna Poësi immortalitate donauit.
Sed cum Ludouicus Bauarus Romanorum

Imperator, qui Gibelinam factionem fouebat, cum exercitu in Italiam venisset, Petrarchæ spes facta est in patriam redeundi. Discedens igitur è Gallia Mediolanum venit, vbi ab Azzone Galeacij Vicecomitis filio benignissimè exceptus est: Sed cùm sensisset sibi denegari Florentiam reditum, Auenionem postea reuersus est: vbi amicitiam contraxit cū Stephano Columna, qui apud Ioann. XXI. Pontificem maximum, plurimum autoritate pollebat: Eodemque affectu exceptus est à Ioanne Cardinale, & à Iacobo Lumboriensi Episcopo, Stephani fratribus. Non tamen potuit diu aulam Pontificiã sequi, aulicæ vitæ pertæsus, laborum tœdiorumq; & vitiorum plenæ. Redire igitur in suam villam Valclusam consultius iudicauit, vt illic in secessu amœno studijs liberius vacare posset. Dumque illic viueret, scripsit plurima Poëmata Latina, maximè suam Africam: vnoque die literis à Senatu Parisino inuitatus est, & à Romano, vt Lauream adipisceretur; sed suafu Cardinalis Columnæ, & Tomæ Messinatis amici sui intimi hortatu,

82 *FRANCISC. PETRARCHA.*

Romam nauigauit. Quò priusquàm appulisset, Neapolim se contulit, vt Robertum Siciliae Regē inuiferet. A quo multis affectus donis & honoribus, literas ad Senatum Romanum commendatitias accepit. Romam venit Anno Christi 1341. ætatis verò suæ 32. coronâque lauream solemnî pompa accepit 8. Aprilis, applaudente toto populo. Hinc illius fama per totam Italiam sparsa, à multis Principib. & ciuitatibus vndique vocabatur. Venit tandē Parmam cum Cortegij domino, cuius fauore Archidiaconatum Parmensis ecclesiæ adeptus est: ibiq; aliquot annis degit, donec Anno ætatis 40. à Florentinis aliquibus amicis sollicitatus est, vt reditum in patriam posceret. Aretiū igitur veniens, omnem mouit lapidem auxilio & fauore amicorum, vt à sua ciuitate reciperetur: cum tamen negotium sibi ex animi sententia videret minimè succedere, Parmam tristis redijt, vnde traiectis Alpibus Valclusam repetiuit. Neque multo post in Italiã reuersus est, vt inuiferet Scaligerum Veronæ dominū, & Iacobum Cararam Patauij Principē: à quibus ho-

bus honorificentissimè exceptus est: maximè à Carara, qui illi Canonatum obtulit Patauij: vbi non multo post eodem tempore mortuus est Carara Princeps, & Laura Cabrierea, quam tantopere amauerat, horumq; mortem summo cum dolore, & mœstitia tulit, Lauræ potissimū, cuius desiderio excitatus, Valclusam venit, ibique hæsit dolens ac mœrens, atq; in eo secessu secundam suorum poëmatum partem conscripsit: Mortuisq; Columnensib. amicis, Gallia relicta Italiam repetere statuit, vt illic reliquum vitæ absolueret. Veneti Patauini & Veronenses reuerso plurimum honoris detulerunt: Sed ante cæteros Galeacius Vicecomes Papiæ, & Barnabas Mediolani, qui illū summo cum gaudio exceperunt, & inter præcipuos consiliarios delegerunt: tantique fecerunt, vt in omnibus conuentibus celebriorib. communi mensa in conuiujs cum Principib. affederit. Ingrauescente tamen ætate, postquã iam sexagesimum quintum annum superasset, cum quodam amico intimo, cum quo familiariter antea vixerat, & omnium cogitatio-

L 2 num, &

84 *FRANCISC. PETRARCHA.*

num, & consiliorum fecerat participem, recepit se ad Euganeos montes prope Patauium, secessitque in vicum, qui Arqua vocatur, vbi domum, hortos, & colles habuit fructiferos, & amœnissimos. Eo in loco senex cū amico, & aliquot famulis multos exegit annos, Poësi & Philosophiæ vacans: Et licet is locus omnibus necessarijs ad vitam rebus abundaret, siquid tamen præterea requireret, famulos Patauium ablegabat, quod ab Arqua decē tantum milliaribus Italicis distat, & inde consequeretur facili negotio, quæcunq; requirebantur ad studia, & valetudinem conferuandam. Ad eum iam ætate grauem missus est à Florentinis Ioannes Boccatus de Cetaldo, qui illum senatus autoritate in patriam reuocaret, honores, & patrimonij bona restitueret: Petrarcha restitutione hac multa affectus est lætitia, suisq; ciuibus gratias egit, sed locum mutare noluit senectute iam extrema pressus in qua ætate habitationis commodæ locum, victusq; rationem diuersam non poterat subire. Paulo enim post Anno Christianæ salutis

FRANCISC. PETRARCHA. 85

1374. ætatis verò suæ 70. die 18. Julij vitam cum morte mutavit: eius corpus conditum est sepulchro rubri marmoris, quatuor columnis fulto, ad quas gradibus duobus conscenditur. Marmorì hoc epitaphium insculptum est.

*Frigida Francisci tegit hic lapis ossa Petrar-
chæ:*

*Suscipe virgo parens animam, fate virgine
parce,*

Fessa que iam terris cæli requiescat in arce.

In secundo gradu sepulchri hæc leguntur.

*Viro insigni Francisco Petrarchæ Laureato,
Franciscolus de Borsano Mediolanensis gener,
individa conversatione, amore, propinquitate,
& successione iunctus memoris. Moritur anno
domini 1374. die Julij 18.*

Hic enim Franciscolus de Amicolis de Borsano duxerat uxorem Franciscam filiam Petrarchæ, illegitimo toronata: & soceri heres ex testamento scriptus est.

Mortuus est Petrarcha Carolo quarto Imp. Rom. Et Gregorio undecimo Pont. Max.

FRANCISC. PETRARCHA. 86

Eius opera hæc recensentur. De præfenti mundo lib. i. Africa ad Rupertum Regem. De conflictu curarum. Historia Chrisildis. Vita Scipionis Africani. De Pomœriis ad Sagemorum. De vita solitaria. De remediis vtriusque fortunæ. De communi mundi contemptu. De vita sapientis: inuectiuæ cõtra Medicum. Bucolica, Eglogæ: & alia venustissima Poemata quæ scripsit lingua Hetrusca.









*BARTOLVS DE SAXO
FERRATO.*



ARTOLVS de Saxo ferrato (vrbs est Vmbrię quę Sentinum olim dicebatur) natus est anno 1303. parentibus honestę conditionis. Petri Assisij in Philosophia auditor fuit, & in Iuris-

prudencia præceptores habuit Cinum, & Iacobum Botigarium. Vir fuit ingenio subtili & acuto, facundę eloquentię, & multi consilij: assiduus in studio legum, sobrius in victu: memorialabili: cui defectui vt succurreret, quęcunque meditabatur, scripto statim mandabat: Ideo delicias omnes postponens, & liberiora corporis exercitia negligens, totum se studiis dedebat, nullam sibi à serioribus meditationibus relaxationem concedens. Seuerus

in omni re, maximè in delictorū pœnis, quas iusto acerbiùs exigebat à reis, dum criminalium caufarum Tuderti Iudex effet constitutus. Hæc nimia feueritas illi crudelitatis notã inuffit, illumque populo reddidit odiosum. Exiftimabant enim omnes Tudertini doctrinam, & bonarum disciplinarum scientiã morum eruditionem debere gignere, & truculẽtam istam crudelitatem mitigare, quæ incul-tum & barbarum animum plerumque sequitur, & humanitatis expertem. Summum ius summa sæpe est iniuria. Clementia Principem generosum, & optimates in magistratu constitutos adprimè decet. Ijenim Deum, cuius sunt ministri, imitari debent: qui non exactè punit fontes: sed maiori misericordia erga genus humanum utitur, quàm acerbitate, licèt crimina fontium mereantur duriùs castigari. Cùm igitur Bartolus propter nimiam feueritatem suis effet ingratus, & odiosus: neque ferre posset publicum contemptum & inuidiam, relicta vrbe secessit in villam, quam habuit amœnissimam, vbi scriptioni incumbẽs, multos

multos annos priuatus exegit. Pisis interim
& Perusij magna auditorum frequentia, &
laude docuit ius ciuile: eius autoritas magna
erat per totam Italiam propter soliditatē con-
siliarum quibus res Principum adiuuabat. E-
rat enim Caroli quarti Rom. Imp. cōsiliarius,
à quo nobilitate donatus est. Mortuus est Pe-
rusij anno ætatis quinquagesimo sexto: Chri-
sti vero 1355. Carolo IIII. Rom. Imperatore,
& Innocentio VI. Pontifice Maximo.







BLONDUS FLAVIUS.

B LONDVS Flavius Foroliuiensis, homo multæ eruditionis, Romam veniens propter insignem qua pollebat doctrinam, statim omnibus innotuit: Et vt illo sæculo scientiæ raræ erant, barbarie occupante omnes ferè Christiani orbis Academias, quotiescunque ex illo ignorantia barathro emergebat aliquis cognitione bonarum disciplinarum clarior, statim excipiebatur cum plausu & admiratione omnium: Idem accidit Blondo postquam Romam venit, fauore aliquot Cardinalium, qui apud Pontificem gratia & authoritate valebant, commendatus est Eugenio P. M. in cuius aulam receptus, Epistolarum Magister factus est. Vxorè habuit honesto loco: ex qua suscepit quinque filios: qui omnes paternæ doctrinæ, & virtutum, sicuti & facultatum heredes facti sunt. Pater li-

M 3 cet gra-

cet grauibus assiduisque negotijs in aula Pontificia occuparetur, non tamen desuit multa scribere, quæ in lucē emissa sunt magno Reipublicæ literariæ emolumento. Scripsit enim Decades tres de gestis Romanorum lib. 31. Vel Decades tres. De Roma triumphante libr. 10. de Roma instaurata libr. 3. De Italia illustrata lib. 8. Præter hæc extant illius epistolarum ad diuersos lib. 1. Orationum lib. 1. & alia plurima opuscula eruditione plena. Clarebat Anno Domini 1435. Mortuus est Romæ iam septuagenarius: sepultusq; in capitolio, in superiore parte graduum aræ cœli, eo loco vbi visitur Lucæ Gaurici monumentum. Marmor inscriptum est. *BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI* historico celebri, multorū Pontif. Rom. secretario fidelissimo, Blondi V. Patri benè M. vnanimes posuere. Vixit annis *LXXI.* obiit prid. Non. Iunij An. salutis Christianæ *M. CCC. LXIII.* Pio Pont. Max. sibi natisq; fauente.








IOANNES BOCCATIUS.



O A N. Boccatus de Cetald
 do, patria Florentinus, Phi
 losophus & Astronomus do
 ctissimus. Ideo in aula Ro
 manorum Pontificum pri
 mum locum inter literatos
 obtinuit. Fuit enim Ponti
 ficiarum epistolarū magister, in qua vacatio
 ne occupatus est multis annis. Floruit eodem
 quo Petrarca tempore: ad quem etiam mis
 sus est à Senatu Florentino, vt illum in patriā
 ab exilio longo reuocaret, restitutis omnibus
 facultatibus, quæ fisco publico adscriptæ erāt,
 expulso Florentia Petrarchæ parente. Bocc
 tatus multa reliquit scripta, quæ autoris doctri
 nam & laboriosas lucubrationes fati testan
 tur. Edidit enim lib. de Genealogia Deorum,
 qui continet tomos 14. De viris illustribus lib.
 1. De claris mulieribus lib. 1. De heresib. Boë
 N morum

morum lib. 1. De victorijs Sigismundi Rom. Imper. lib. 1. de Bellis Imperatorum lib. 1. De Montibus, Fontibus, Fluminibus, libr. 3. De bellis Florentinorum lib. 1. De rebellione terrarum Ecclesiæ lib. 1. De victoria Tartarorum lib. 1. De stagnis & paludibus lib. 1. De nominibus maris lib. 1. De Cōstantinopoli capta lib. 1. Librum Epistolarum, & Bucolica non inrudita, aliaq; plurima. Reliquit & librum centum nouorū, quem Decameron vocauit, lingua Hetrusca conscriptum, quo historiæ plurimæ facetæ continentur. Interfuit Concilio Constantiensi: in quo cremati sunt Hieronymus de Praga & Ioan. Hesus: De Hieronymo scribit Boccatius dignum fuisse vita, propter insignem doctrinam, & constantiam singularem, si ab Ecclesiæ doctrina non recessisset. Mortuus est Anno ætatis suæ 62. Carolo 4. Romanorum Imperiū tenente, & Gregorio vndecimo Pontifice Maximo.







BALDVS PERVSINVS.



ALDVS Perusij natus, ex Vbaldorum nobili familia: Is generis splendori adiecit doctrinam excellētem in Iurisprudentiæ studio; & alijs liberalibus disciplinis: auditor enim fuit Bartoli de Saxoferrato: præceptorique nō cessit scientiarum cognitione. In patria docuit summa cum laude & auditorum frequentia, qui vndique Perusium confluebant ad illū audiendum. Sed postquā magnus ille Galeacius Vicecomes Mediolanēsis Academiā Ticini erexit, & scholas studiis bonarū litterarū florētes excitasset, accitis vndiq; celeberrimis professoribus, qui iuuentutē tam in Philosophia, quàm in Iurisprudētia instituerent, constitutis vnicuique, pro ratione & dignitate professionis, luculentissimis stipendijs, Baldū quo-

que Perusio euocauit, qui summa auditorum frequentia Papiæ, quæ est Ticinũ, ius aliquot annis publicè docuit. Peruenit ad annum ætatis septuagesimum sextum. Decessit è vita paulo ante Galeacij mortem. Sepeliri voluit amictus habitu S. Francisci, ratus id plurimũ ad animæ salutem conducere. Quod etiam à Rudolpho Agricola factitatum tradunt, & ab alijs multis. Baldus florebat Anno 1365. sepultus Anno 1400. Scripsit super Codice lib. 9. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Super ff. Infortiati lib. 14. Super Institutis lib. 4. De vsu Feudorum lib. 1. Super Autenti. lib. 1. Super secundo Decretaliũ lib. 1. Additiones Speculi lib. 1. Consiliorum lib. 1. Comment. super totum corpus Iuris ciuilib. Practicam, Margaritam seu repertorium, & modum arguendi.





For information only
This document is not to be
distributed outside the
Department of Justice





PETRVS ANCHARANVS.



ETRVS Ancharanus
Bononiensis, ex illustri
Farnesiorum familia;
vir præter singularẽ do-
ctrinam tam in Philo-
sophia, quam in studio
Iuris, longo vsu rerum
politicarum prudẽti-
or

redditus, eloquentissimus & multa autoritate
apud suos pollens, propter salutifera consilia,
quibus tam scriptis, quam voce patriam iu-
uans Principibus ciuitatibusq;, & Academijs
totius Italiae plurimum commẽdabatur. Præ-
ceptore vsus erat Baldo, ex cuius intima fami-
liaritate multa secretiora Iurisprudentiæ hau-
serat documẽta. Florebat in Italia anno Chri-
sti Seruatoris 1410. Sigismundo Romanorum
Imperatore. Scripsit super Decretalibus lib. 5.
Super 6. Decretalium lib. 1. Super Clementi-

106 *PETRUS ANCHARANUS.*

nis lib. 1. De regulis Iuris libr. 1. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Consiliorum lib. 1. In primo Decretalium, de constitu. c. 1. Canonum stat. in 2. Decret. de cōfessis & de probatio. c. ex parte. & c. tertio loco. Et rursus de probatio. c. in præsentia. & de foro compe. c. postulasti. Sepultus est Bononiæ in templo S. Benedicti. parte superiore monumenti literis Romanis scriptum est. D. O. M. Petro Ancharano Iuris Ponti. & Cæs. clarissimo interpreti, eius amantissimi sacrum hoc instauratū posuere Anno salutis M. CCCC. LXXXVII.

Et in parte inferiore literis Gotthicis hæc leguntur.

Canonis hic speculum, ciuilis & anchora Iuris.

Hic iacet, æternas mens tenet alma domos.

Nomenerat Petrus: genuit Farnesia proles

Nunc Ancharanum dat sibi iuris opes.

Quis superauit eū virtute micante? quis isto

Consilijs hominum clarior antè fuit?

Pro meritis nūc astra dedit sibi Iuppiter almus,

Et voluit gelido membra iacere solo.

107

107







IOAN. FRANCISC. POGGIUS.



I O A N N E S Frãnciscus Pog-
gius Florentinus, Iuriscõ-
sultus & Theologiæ Do-
ctor: Homo doctus & ad-
mirandæ facundiæ, in ac-
cusationibus potissimum,
& inuectiuis, quas scripsit

in Philelphum, & Laurentium Vallã: Hunc e-
nim vatiniano oderat dissidio: Et in eum scri-
psit libros duos, quibus illum amarè perstrin-
git: illi quoque Valla non leniore stylo respon-
dit: tanta fuit eo sæculo inter viros doctos a-
cerbitas & inuidia, qui pares ferre, multo mi-
nus superiores, non poterant. Et hoc vitium
propagatum vidimus vsque ad nostra tempo-
ra. Multi enim se scripsisse non arbitrantur do-
ctè, nisi alios reprehendant, & ex alieno vitu-
perio suam laudem adstruant, quæ dum faci-
unt docti quidem, sed non eruditi videntur;

110 IOAN. FRANC. POGGIUS,


cum bonarum disciplinarum cognitio erudire mores hominum, non exasperare debeat. Poggius hæc scripta reliquit. De situ Indiæ lib. 1. Epistolarum lib. 1. Orationum lib. 1. De varietate Fortunæ. Historiam Florentinorum, & vt erat Græcæ linguæ peritus, Dionysium Siculum Latinitate donauit, & Xenophontis Cyropædiã. De officio Principis, & alia multa. Interfuit concilio Constantiensi, in quo excellentes aliquot habuit orationes funebres. Et eo tempore eius opera inuenti sunt Quintilianus, & Asconius Pædianus. Scripsit & quædam turpia, nec lectione bonorũ digna. Nam, vt ait Trithemius, hoc opus à Catalogo illustrium scriptorum reijciendũ censemus, quoniam eius lectio deuotos offendit, incautis nocet, & carnales inficit. Claruit anno 1420. Sigismundo Rom. Imp. Sepultus est Romæ, in Templo S. Gregorij. Eius Epitaphium tale est.

DEO OPTI. MAX. Ioanni Francisco Poggio Florentino, cum virtute ac constantia, mor. grauitate, vita integerrimè acta, paterna,

IOAN. FRANC. POGGIUS. III

terna, suaque laude eloquentiæ, ac literarum,
Iuris quoque ciuilis, ac Pontificij, diuinæque
scripturæ cumulata doctrina, religiosè viuen-
ti, religiosius supremo die functo Vicentius
Luçæ Maretinus, fratris eius gener, parentis a-
pud se locum semper adsequuto optim. me-
ren. posuit.

Vixit Annos LXXIX. Mens. III.







LAURENTIUS VALLA.

LAURENTIUS Valla Patricius Romanus, & Canonicus S. Ioannis Laterani, Grammaticus, Rhetor, & Philosophus clarissimus, Theologiæ Doctor, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus. Inimicissimus fuit Poggio, qui in oppido ditionis Florentinorum natus, Romæ summa in autoritate viuebat in aula Pontificia literarum Apostolicarum scriptor, vir quidem facetus, & dicerijs clarus, pauloq; amarior quàm par erat: Is in Vallam multa scripsit acerbiorè stylo, cui & Valla respondit non leniori scripto. Scripsit præterea plurima alia eruditione plena: vt sūt elegantiarum linguæ Latinæ lib. 6. de reciprocatione sui & suus, in Antonium Raudensem: annotationum lib. ad Alphonsum Regem Aragonū epistola apologetica, quæ inscribitur Duo Tarquinij. In Benedictum Morandum Bononiensem libr. 2. In Bartolomæum Faciū
 P Ligurem,

Ligurem, & Antonium Panhormitam recri-
 minationum lib. 4. Ad candidum Decembrē
 in Bartoli de armis & insignijs. De Dialectica
 lib. 3. Apologia ad Eugenium Pontificē con-
 tra calumniatores. Annotationes in nouum
 Testamentum. De voluptate & vero bono
 lib. 3. De libero arbitrio ad Garfiam Episcopū
 Illerdensē. De gestis Ferrandi Aragonū Re-
 gis. In Institutiones oratorias Quintiliani lib.
 12. Translationem Iliadis Homericæ. Herodo-
 ti Halicarnassei libros nouem Historiarum la-
 tinitate donatos: & Æsopi fabulas. Nam vt su-
 pra dixi publicauit & Antidotum in Poggium
 lib. 4. Apologum & actum scenicum in eun-
 dem. Scripsit & Libellum peculiarem contra
 priuilegium donationis Constantini Magni,
 quam falsam asserit, & e mentitam. Vixit Anno
 Domini 1420. Sigismundo Imperatore. Sepul-
 tus est Romæ in templo Laterano. Sepulchro
 eius, quod est ante ostium sacrarij, inscriptum
 est: Laurentio Vallæ harum ædium sacrarum
 Canonico, Alphonfi Regis & Pont. Max. Se-
 cretario Apostolico ----- tori qui sua ætate o-

LAURENTIUS VALLA. 115

omnes eloquentia superavit. Catharina mater
filii piensissimo posuit. Vixit annos L. Anno
Domini M. CCCC. LVII. AD I primo
August.








IOANNES DE IMOLA.



O A N N E S de Imola patria Bononiensis, sed cuius parentes olim Imola Bononiã transmigrarãt, & ciuitate donati propter eorum auctoritatem, & facultates, quæ non erant mediocres. Hic Ioannes statim à pueritia bonis literis institutus est, patre sumptibus non parcente, vt in virum doctum filius euaderet: factumque est vt non solùm in Philosophicis optime erudiretur, sed maximè in Iurisprudentiæ studio, ad quod pater illum destinarat, vt patriæ honori, & familiæ emolumento esset. Nã cum tria illa studia cæteris excellât, Theologiæ, Iurisprudentiæ, & Medicinæ: Dat Galenus opes, dat fuluum Bartolus aurum. Et præter opes, quæ ex Iuris studio acquiruntur, maximũ id visum est præmium scientiæ, quod

in administratione Reipublicæ , in consilijs principum admittuntur cum summo honore, & autoritate Iurisconsulti. Ioannes igitur in hac vacatione studij factus prouectior, Doctoratus gradum Bononiæ accipiens, publicè docuit, & multa scripsit, quæ cum gloria , & laude ad posteritatem transmissa sunt, vt sunt super tribus libris Decretalium libr. 3. Super sexto Decretalium separatim lib. 1. Super Clementinis lib. 1. Super ff. Inforciati lib. 14. Super ff. nouo, & alia quædam, quæ non sine utilitate ab ijs, qui iura secuntur, legi videmus. Mortuus est Bononiæ tempore Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Eugenij IIII. Pontificis Maximi. Anno salutis humanæ 1436. Sepultus est in Peristylio templi S. Benedicti, cum Martino Sulimano, cum hac inscriptione. D. M. S. Ioannis de Imola Pont. Cæs. Q. Iuris consultiss. ossa in subposito Garisendorum sepulchro requiescunt. Minus Garisendus ille & ipse interpres, Amitæ suæ coniugi fecit.





PAULUS DE CASTRO.



PAULVS de Castro à nonnullis in agro Patauino natus creditur, parētibus honestis & mediocris fortunæ. Hic ab ineunte ætate bonis disciplinis eruditus, Iurisprudentiæ studio sese

addixit : in quo tantos fecit progressus , vt sui temporis Iurisconsultos, aut superaret, aut saltem æquaret. Cuius doctrina cùm esset omnibus cognita, à multis Principibus, & ciuitatibus delegatis splendidissimis stipendijs ad docendum vocatus est. Professus est Iura in omnibus ferè totius Italię Academijs, tanta autoritate & discipulorum frequentia, & concursu, vt qui Paulum docentem non audiuisset, is titulos Iurisconsulti ferre meritò non crederetur. Neque solùm docēdo dum viueret auditoribus profuit, verum etiam scribendo po-

steri-

steritati consuluit. Leguntur enim adhuc hodie multi cum vtilitate libri, quos conscripsit in hac facultate: vt sunt super codice libri nouē. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Super ff. inforciati lib. 14. Super Institutis lib. 4. Consiliorum probatissimorum lib. 1. Scripsit præterea Singularia, & opus Consiliorum in duo volumina partitum. Ostenduntur & alia eius opuscula eruditione plena: vt est Repetitio in i. ff. vet. de Iudicijs L. Si de vi.

Mortuus est tempore Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Eugenij quarti Pontificis Maximi, Anno Christi 1437.









LEONARDUS ARETIUS.



LEONARDVS Brunus Aretinus Historicus, Orator, & Philosophus doctissimus: Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus: quarum nitorem retroactis seculis offuscatum pristino splendori restituit. Floruit enim tempore Pontificum Romanorum Innocentij VII. Gregorij XII. Alexandri V. Et Ioannis XXIII. quorum fuit epistolarum magister. Sed postea à Senatu Florentino accersitus, summus ciuitatis Cancellarius vnanimi Patrum consensu electus est: in quo statu reliquam vitæ partem summa autoritate & gloria transegit. Scripsit plurima eruditione plena. Inter eius opera hæc præcipua recensentur. Historia sui temporis de gestis Florentinorum lib. 12. Historia Gotthorum lib. 4. Historia primi belli Punicilib. 14. Vita Aristotelis. Vita Gracchorum, Pauli Æmylij, Catonis

Posterioris, Sertorij, Ciceronis; Dialogum de moribus conscripsit, & librum contra Hypocritas. Commentarios in œconomica Aristotelis, epistolarum volumen. Et ex Græcis trās tulit multa in Latinum sermonem, vt Basiliū de instituendis discipulis. Xenophontis librū de tyranno, & apologiam pro Socrate. Platonis Gorgiam, Phædonem, & aliquot epistolas. Aristotelis Ethicorum & Politicorum libros. Æschinis orationem contra Ctesiphontem. Et multorum vitas ex Plutarcho: Præter orationem, in qua Heliogabalus artem meretriciam commendat: Et Historiam amatoriam, quæ cum Epistolis Æneæ Syluij continetur. Mortuus est Florentiæ annis, opibus, & gloria locupletat⁹, Imperatore Friderico III. & Eugenio IIII. P. M. VII. E I D. M A R T. A N N O. M. C C C C. X L I I I. ætatis suæ Anno L X X I I I. Sepultus in templo S. Crucis, sepulchro marmoreo magnificētissimo, cū hac inscriptione.

Postquam Leonardus è vita migravit, Historia luget, eloquentia muta est, ferturq; Mufastum Græcas tum Latinas lacrymas tenere non potuisse.

JIVE

127







HIERONYM. FRACASTORIUS.



HIERONYMVS Fracastorius patria Veronen-
sis, vir cōsummatissimæ
doctrinæ: Medic⁹ enim
Poëta, Astrologus, &
Philosophus fuit sua æ-
tate doctissimus: in qui-
bus studijs tantam ac-
quisiuit laudem, vt vsque ad hodiernum diem
antiquis comparandus meritò iudicetur. Eius
Poemata tanti fiunt apud omnes literatos, vt
illa conferant cum Vergilianis: tanta in eis e-
loquētia, tanta dicendi vis, & facultas, sermo-
nisq; puritas, vt æterna laude non sine causa ad
coelum euehantur, vnde à multis diuinus vo-
catur Fracastorius. Is cum totam ætatem in
arte Medica, & in indaganda rerum natura se-
dulo impendisset: in eo omnem mouens lapi-
dem, vt literatos iuuaret, & omnibus prodesse
R posset,

posset, Patauij, vbi tunc summo in honore habebatur, naturæ concessit: Anno Christianæ salutis M. D. LIII. ibique sepultus, funus prosequente publico luctu tota Academia, & Ciuitate. Eius opera hæc ad posteritatem peruenerunt. Carmen elegantissimum de morbo Gallico, quod dedicauit Petro Bembo Cardinali, libris tribus. Homocentrica, & de causis criticorum dierum. De Sympathia & Antipathia lib. 1. De contagione, & morbis contagiosis lib. 3. Item Alcon carmen de cura canū venaticorum. Omnia eius opera tanta perfectione scripta sunt, vt in ijs requiri nihil possit: de eo Iulius Cæsar Scaliger Veronensis aliquando scripsit.

*Hic situs est Fracastorius Hieronymus: urna
 Quem capit, hic cepit pectore cuncta suo.
 Sidera digessit: reuocauit funera, Rerum
 Natura imperij conscius, atque Dei.
 Aut Heliconiadum fontem sibi sustulit omnē:
 Aut tumulus vertex hic Heliconis erit.*

117X

134







GEORGIVS TRAPEZUNTIVS.



GEORGIVS Trapezuntius, ex Creta duxit originem, vbi natus est anno 1396. Patre Trapezuntino ciue, qui se eò contulerat. Romã veniens propter insi-

gnem eruditionem Pontifici gratus, Secretarius Apostolicus factus est. Primus omnium Græcorum Græcas literas docuit summa cum laude: clarebat enim anno Christi 1430. Eugenio quarto Pontificatum tenente: illũ Trithemius Gregorium vocat. De quo quidam memoriæ tradiderũt, extremo senio pressum, & morbo graui detentum, postquam ad valetudinem rediisset, literarum omnium fuisse oblitum, neque legere aut scribere potuisse, quod ex dolore illi euenisse ferunt: propterea quòd eius opera Põtifici maximo oblata, centum ducatis tantũ compensata fuissent. Is autem è Vaticano Palatio domum se confe-

rens, indignatione percitus ex ponte Aelio pecuniam ab ingrato acceptam in Tyberim abiecit. addita exclamatione: Periere labores, pereat & eorum ingrata merces. Decessit Romæ senex admodum. Dū viueret scripsit plurima: nempe Rhetoricorum libros quinque. Dialecticam breuem. Commentaria in Philippicas Ciceronis. In Claudij Ptolomæi centum sententias, & librū de Antiscijs. Transtulit etiam ex Græcis in linguam Latinam Cyrilli commentarios in Euangelium Ioannis, & de Trinitate lib. 14. Eusebium de præparatione Euangelica. Almagestū Ptolomæi. Chrysostomi Homelias in Matheum. Isagogem & commentaria in magnā Ptolomæi compositionem. Rhetoricorum Aristotelis libr. 3. Comparationem Aristotelis cum Platone: vbi Aristotelem, quem mirificè admiratur, longè præfert Platoni: cuius vitam & doctrinam famosis scriptis insolenter, & amarulenter infectatur. Opera quoque Gregorij Nissenii latinitate donauit. Erat Peripateticæ Philosophiæ sectator & studiosus.

XIX

135








BESSARIO.

BESSARIO natione Græcus, patria Trapezuntinus, Patriarcha Constantinopolitanus. qui Eugenij quarti tempore in Italiam venit ad Concilium Florentinum. Philosophus, & Orator summa doctrina præditus. Primus omnium ex Græcis fuit, qui communibus Patrum suffragijs, cum Isidoro in Senatum Cardinaliũ electus est. Homo certè propter insignem eruditionem, ac vitæ sanctimoniam nõ solùm dignus qui inter Cardinales censeretur, sed qui Pontificatum summum teneret. Eo enim Reipublicę gubernacula moderante, sperare omnes poterant doctrinæ, religionisque, ac morum emendationem. Eius tanta fuit liberalitas erga viros doctos, vt eius domus artium liberarium officina diceretur: neque minùs ipse assiduus erat in bonorum autorũ lectione. Venetijs

netijs Bibliothecam libris Græcis & Latinis instructissimam erexit, quos ex Græcia in Italiam multis impensis emptos transportari curavit. Bibliothecæ præfecit Marcum Antonium Sabellicum Roma magno stipendio accersitum. Scripsit & ipse plurima volumina doctrina & utilitate plena. Vt cōtra Marcum Episcopum Ephesinū, de Spiritu sancto malè cum Græcis sentientem in Concilio Florentino. Platonem in primis colebat, pro cuius defensione, & laude scripsit contra Georg. Trapezuntium lib. 5. Transtulit ex Aristotele Metaphysicorum libros quatuordecim. Scripsit & laudes Trapezuntis patriæ suæ, & Isthmi. Consolationes ad Imperatorem Græcorum: Et orationes de bello Turcis inferendo. Trāstulit & Theophrasti Metaphysica: & libr. 4. Xenophontis, de factis & dictis Socratis. Græce quoque scripsit ad Plethonem siue Gemistum, cuius fuerat discipulus: & Epistolas responsorias ad eundem. Mortuus est Rauennæ ex legatione Gallica rediens, Anno ætatis LXXVII. Friderico Imperatore & Sixto IIII.

P. M. Anno Domini M. CCCC. LXXIII. Eius corpus Romam tráslatum, & in templo Apostolorum magnifico cõditum est monumento, quod ipse viuens sibi erigi curauerat, cum hac inscriptione. Bessario Episcopus Tusculanus S. R. E. Card. Nicenus. Patriarcha Cõstantinop. nobili Græcia ortus oriundusque, sibi viuens posuit.

Anno salutis M. CCCC. LXXVI.





THESSALA LIQVISTI REGNA ET PENEIA TEMPE
AD TYBERIM QVONIAM GLORI MAIOR ERIT.



THEODORUS GAZA.



THEODORVS Gaza patria Thessalonicensis, vir nobilis, Græcæ Latineq; linguæ peritissimus, omniũ sui temporis hominum doctissimus habitus est. Literas Latinas in Italia didicit, in qua-

rum cognitione tantum profecit, vt summa felicitate, & omniũ admiratione Latina Græcè, & Græca Latinè exactissimè verterit. Nõnunquam tamen Latina vocabula noua fecit. Stylo vsus est non affectato, sed puro & facili, veteres Latinos imitatus. Eius doctrinam mirificis laudibus extollit Hermolaus Barbarus. Bessarioni Patriarchæ Constantinopolitano, & Cardinali Niceno familiaris fuit, & amicus: à quo multis honoribus & beneficijs cumulat^{us} est: eiusq; commendatione sacerdotium

in magna Græcia adeptus, ætatem illic absoluit feliciter, studijs & lectione bonorum autorum incumbens. Eius opera hodie extant plurima: Græcæ Grammaticæ lib. 4. De mensib. Atticis liber Græcus. Ciceronis de Senectute, & Somnio Scipionis, quæ in Græcum sermonem transtulit. Æliani de instruendis aciebus. Dionysij Halicarnassæi de compositione orationis. Theophrasti historia de plantis. Aristotelis de historia animalium. lib. 9. De partibus animalium & eorum causis. lib. 4. De generatione animalium lib. 5. Problematû sectiones 38. Alexandri Aphrodisiensis Problematum lib. 2. Chrysofomi Homiliæ 5. de incomprehensibili Dei natura: Et præter hæc alia plurima eruditione plena reliquit. Obijt Romæ, quo ex Græcia venerat, Anno Christi M. CCCC. LXXVIII. Friderico III. Romanorum Imperatore, & Sixto III. summum Pontificatum tenente. Quidam tradiderunt eius corpus in Græciam fuisse transportatum, & ibi tumultatum, vbi sacerdotium obtinebat.






ALEXAND. TARTAGNUS.

ALEXANDER Tartagnus Imolæ natus est: Vixit Romæ Friderici tertij Romanorum Imperatoris tempore: Legum Doctor, & Iurisperitus tota Italia celeberrimus. Publicè magno auditorū conuentu per triginta ferè annos docuit Papiæ, Ferrariæ, & Bononiæ: Eius enim tanta fuit per totam Italiam autoritas, vt quicumque illum docentem non audiuerat, vix inter doctos numerari posset. Scripta reliquit nonnulla, quæ in hodiernum vsque diem à Iurisperitis magno cum fructu leguntur: inter quæ primum locum obtinent. In sexto decretalium liber vnus. In Clementinis liber vnus. In Codice lib. 9. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Super ff. Inforciati lib. 14. Lege de eo Trithe-
mium, & supplementum Chronicorū. Mortuus est Bononiæ locuples, annis, & gloria plenus.

T
nus.

146 *ALEXAND. TARTAGNUS.*
nus. Sepultusq; est in templo Sancti Domini-
ci, Anno Christianæ salutis M. CCCC. LXXVII.
Sepulchrum eius marmoreū, maximo sum-
ptu, & splendore erectum. Eius corpus arca
summo artificio elaborata ex marmore con-
ditum est: in cuius frontispitio legitur hoc Epi-
taphium.

Alexandro Tartagno Imolensi Legum
veriss. ac fideliss. Interpreti Q. V. ANN. LIII.
filij pientiss. Patri ob B. M. P O S. Obijt Anno
M. CCCC. LXXXVII.



11X21







BARTOLOMÆVS PLATINA.



ARTOLOMÆVS, vel
vt alij volunt Baptista
Platina, Veronensis pa-
tria, humili loco, & ob-
fcuris natus est parenti-
bus: sed qui propter eru-
ditionē à doctis summo
honore colebatur. Ma-

ximè postquā venisset Romā, à Pio II. Pont.
Maximo singulari fauore & beneuolentia ex-
ceptus est, & Sacerdotio donatus, & multis
muneribus locupletatus: Abbreuiator enim
Apostolicus factus est, vt erat homo multæ li-
teraturæ, Rhetor & Philosophus acutissimus.
Tandem in odium Pauli II. P. M. venit, quòd
illius vitia non ex omni parte posset ferre, per
calumniatores & inuidos (qui pestes sunt or-
dinaræ omnium aularum) apud Pontificem
redditus odiosus, ab eo primùm beneficio Ec-

clesiastico, bonisque omnibus spoliatus est: postea in carcerem coniectus, & equuleo applicatus, infinitis tormentis vsque ad mortem cruciatus, & excarnificat^o est. Extincto tãdem apoplexia post conuiuium Paulo, Sixtus IIII. Ligur illi in Pontificatũ successit, Anno Domini 1470. Is Platinã vinculis liberauit, prioribusque honoribus, & beneficijs restituit, & præter hæc Bibliothecæ Vaticanæ præfecit: in qua administratione egregiã nauauit operã, doctorumque hominum exterorũ beneuolentiam acquisiuit, omnes ad colloquia familiarissimè, & humanissimè admittens, & ad lectionem librorum, quorum curam gerebat. Id enim sibi semper proposuit, vt quibuscunque posset officijs de omnibus optimè promereretur. Scripta eius extant plurima. De gestis Romanorum Pontificum lib. 1. De natura rerum. De honesta voluptate & valetudine lib. 10. Epistolarum lib. 1. Dialogi de vero & falso bono, de vera nobilitate, & optimo ciue, & contra amores. De Pace Italiæ componenda, & bello Turcis indicendo. De rebus Mantuanis,

tuanis, & Gonzagarum familia lib.6. Panegyricum in laudem Bessarionis : Et quædam de arte culinaria: quæ tanti viri auctoritatem non mediocriter minuerunt, vt illi obiecit Actius Sincerus, hoc Epigrammate.

*Ingenia, & mores, vitasq, obitusq, notaſſe
Pontificum, arguta lex fuit hiftorie:*

Tu tamen hinc laute tractas pulmenta culina.

Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.

Exprefſè enim (cùm eſſet Bibliothecæ Pontificiæ præfectus conſtitutus, illique plus otij in ſtudijs concederetur) Vitas Põtificum describendas ſuſcepit, vt Pauli II. vitia notaret, immanitatem, ſuperbiam, & auariciam, quæ viro alioqui excellenti, & nobili Barbarorum apud Venetos familia orto, plurimum infamiæ attulerunt. Opus hoc Platina dicauit Sixto Pontifici, qui Pauli arrogantiam ſemper odio fuerat proſecutus. Platina iam admodum ſenex, & locuples è vita deceſſit Romæ, Anno Chriſti 1581. Friderico III. Romanorum Imperatore, & Sixto quarto Pontificatum tenente:


te. Sepultus est in Exquilijis, in templo S. Mariæ Maioris, cum hoc Epitaphio:

*Quisquis es (sapius) Platinam, & suos ne
vexes.*

*Angustè iacent, & soli volunt esse Demetrii
alumni.*

Domum habuit instructissimam, cum amoenis hortis in Quirinali. Hanc Platina moriens reliquit Póponio Læto amico superstiti, cum laureto adiacente, ex quo coronarētur in posterum Poetæ, alijque Philosophi, qui ad doctorum sodalitium admittebantur: quique reliquis exhibita suæ doctrinæ probatione, laurea digni iudicabantur: quod paulo post multis cōtiguit: Sed exquisitissimis ceremoniis Marcus Antonius Sabellicus coronatus est in cœtu omnium, applaudente tota Academia.







MARSILIVS FICINVS.



ARSILIVS Ficinus patria Florentinus, Platonicae doctrinae summus admirator, & cultor, Graecae & Latinae linguae peritissimus: homo ingenij acuti, & vigilantis: vnicè adamatus à Cosmo Florentinorū Principe, propter exquisitam scientiarum omnium, qua pollebat, cognitionē. Fuerat enim Marsilius cum Angelo Politiano bonarum literarum studijs excultus, opera & sumptu Laurentij Medices, qui & ipse doctus, doctorum omnium Mæcenas vocatus est, tantaque autoritate, moderatione, & prudentia rempublicam Florētinorum rexit, vt Pater Patriæ dici iure mereretur. Post cuius mortem, non minore apud Cosmū gratia valuit, & ab eo diuitijs, & honoribus ditatus, otio literario vacans, Principis beneme-

meriti suafu, Latinos fecit Iamblicum, Synefium, & Pfellum, Platonicos autores, ipfumq; totum Platonem. Scripsit & alia infignia opufcula, quæ à doctis cum fingulari delectatione, & fructu leguntur: inter quæ eft Theologiæ naturalis lib. 1. De intellectu & intelligentia lib. 1. In conuiuium Platonis lib. 1. de triplici vita, lib. 3. De Medicina, Aftrologiaq; (quas ad facerdoes pertinere propriè afferit.) de vita mundi: de Magia, & Magis qui Chriflum falutarunt. Antidotum Epidemiorum, & curationem valetudinis. Et Epiftolarum librum. Vertit & Græcos in Latinum fermonem (præter superiores quos diximus) Xenocratis de morte. Speufippi, Alcinoi, & Pythagoræ opufcula. Dionyfium Martyrè de myftica Theologia. Plotinum cum commentarijs. Paraphrafes in Theophrastum, & Prifcianum: de fenfu, phantafia, & intellectu, & alia plurima. Vertit & Mercurium Trifmegiftum, de potestate & fapiëntia Dei. Mortuus eft tandem Ficinus in villa Coregiana, quò fecefferat, Anno ætatis fuæ 71. Chrifto verò. 1483. Clarebat Friderico

MARSILIUS FICINVS. 167

derico III. Rom. Imp. Et Sixto IIII. Innocentioque VIII. PP. MM. Sepultus est Florentiæ in templo S. Mariæ, cum hoc Epitaphio.

En hospes, hic est Marsilius Sophiæ pater:
Platonicum qui dogma culpa temporum situ
obrutum illustrans, & Atticum decus feruens
Latio dedi fores primus sacras, diuino
apperiens mentis actus numine. Vixit beatus
ante Cosmi munere, Laurique Medicis: nunc
reuixit publico S. P. Q. F. Anno Salutis M.
D. XXI.



Carthago terram regiorum Deo dedit
Fides: Cunctis quo deditur esse





ANGELVS POLITIANVS.



ANGELVS Politianus, ex
 Monte Politiano Hetrurię
 oppido, natus est Anno
 Domini 1454. Is sumptu,
 & promotione Cosmi Flo-
 rentinorum Principis, cū
 Marsilio Ficino bonis lite-
 ris institutus est: in quibus tanta felicitate pro-
 fecit, vt breui temporis interuallo sui tempo-
 ris homines doctos eruditione aut æquaret,
 aut superaret. Græcæ Latinæq; linguæ peritif-
 simus, Grammaticus, Orator, & Poëta insignis.
 Dictus enim est communi sui sæculi con-
 sensu, Poëta nobilis, propter excellētiam car-
 minis, quo commendabatur, dum illustrasset
 Iuliani Medicis ludos solemnes, vicissetque
 doctissimo poëmate celebrem illum Poëtam
 Lucam Pulcium. Græcas literas Politianus
 docuit Florentiæ magno auditorū confluxu.

Quò

Quò cum venisset Demetrius Chalcondules Byzantinus, qui cum alijs multis tyrannidem Turcicam fugientibus in Italiam se recepit, Scholamq; ab Argyropylo destitutam restauravit. Fuit enim Petri & Cosmi Medicū præfectus institutioni, & Laurentij, Cosmi nepotis. Dum igitur eodem tempore literas Græcas Florentiæ docerent Chalcondyles & Politianus, auditores Demetrio relicto auditioni Politiani malebant vacare, quem magis idoneum in docendo iudicabant. Id Chalcōdylem offendit, æmuloq; cedens, Mediolanū se transtulit, quo vocabatur à Ludouico Sforzia Principe, qui summo studio nitebatur vt Mediolanensis iuuentus ab aliquo viro Græcè docto institueretur in primis Græcanicæ linguæ rudimentis. Politianus florebat summa inter Italos gloria Maximiliano Romanorum Imperatore, & Alexãdro sexto Borgia Pontifice Maximo, Anno Domini 1493. Mortuus est ætate media, annū agens quadagesimum quartum: cuius obitu tota Italia splendorem suum se amisisse rata est, tam gloriosa nominis eius

eius fama apud omnes visa est: quem si ad maturam senectutem seruassent Superi, non est dubium quin magnis illis viris, Philosophis antiquis conferri meritò potuisset. Defuncto Petrus Crinitus tale scripsit Epitaphium.

*Hic hic viator paululum gradum siste:
 Vatem potentis spiritus vides clarum:
 Qui mente promptus acri, & arduū spirans,
 Ad summa quæq; & alta consequi suctus,
 Is ille ego Angelus Policianus sum.
 Fouit benigno me sinu Flora, & illic
 Infata cessi, Parthenopaos Reges
 Cum Gallica arma irruerent minabunda.
 Tu vale: Et hoc sis meriti memor nostri.*

Eius opera, quæ viuens edidit, multa extāt. Epistolârū lib. duodecim. Miscellaneorū cēturia vna. Dialectica summa arte constructa. Plectio in A. Persiū. Sylua Nutricia. De poëtica & Poëtis, carmine Heroico. Sylua, cui Rusticus nomen est. Sylua cui titulus Manto. Sylua, cui titulus Ambra. Elegia in Alberiæ mortē. Epigrāmata varia Græca & Latina. De

cōiuratione Pacciana contra Laurentiū & Iulianum Medices, & alia quædam. Ex Græcis in Latinam linguam vertit Herodiani Historiam. Enchiridiū Epiçteti. Alexandri Aphrodisij super nonnullis physicis dubitationibus, solutionum libr. i. Plutarchi Chæronæi amatorias narrationes. Scripsit & in priora Aristotelis Analytica prælectionem, cui titulus *Lamnia*: Et aliam cui titulus *Panepistemon*. Præfationem in Homerum. Epistolam ad Laurentium Medicem de Ira. Extant & alia plurima eiusdē opera, vt oratio super Statij syluis, & Fabio Quintiliano: oratio pro Oratoribus Senensium ad Alexandrum vt. P. M. oratio pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonsum Siciliae Regem. Alia ad eundem gratulatoria. Item alia pro Prætoꝛe, ad dominos summum magistratum ineuntes: & Magni Athanasij in Psalms opusculum Latinitate donatum, aliaq; plurima.

VXX

163







JASON MAYNUS.




ASON Maynus Patri-
cius Mediolanensis, E-
ques auratæ militiæ, &
Senator Ducalis. Vir cor-
poris habitu elegãti, mo-
ribus facilis, in colloquiis
familiaribus facetus, &

hilaris: in rebus magnis grauis, acutus, & per-
spicacissimi iudicij: prudens in consilijs: cuius
autoritas maxima fuit apud Fridericum, &
Maximilianum Imperatores Romanorum:
ad quos missus est legatus à Ludouico Sfortia
Duce Mediolanensium. Illum nõ solùm Im-
peratores summa beneuolentia, & honore sæ-
pius exceperunt, sed in eum liberalissimi fue-
runt, ornaruntque illum multis luculētis mu-
neribus, & priuilegijs, quibus sub Imperij do-
minio ius & auctoritatem obtineret amplissi-
mam. Cum Alexander VI. Borgia Pontifica-

tum Maximũ iniret, Anno Domini 1491. ab omnibus Christianis Principibus legati Romam missi sunt, qui illi gratularentur: cõmunique omnium sentetia Maynus, qui eò quoque à Principe Mediolanensi fuerat missus, iudicatus est omniũ eloquentissimus, ac præcipuo honore dignus. In eo enim conuentu coram nouo Pontifice orationem habuit, in qua omnes ingenij vires, & facundiã admirabilem Senatui Apostolico ostendit. Vtque erat excellens Philosophus, in Iurisprudencia nulli suo tempore cessit. Docuit summa auditorum frequentia Pisis, Paduæ, & Papiæ, vbi primum semper locum inter Iuris professores consecutus est, per spatium fere quinquaginta annorum. Mortuus est Papiæ 84. ætatis anno: Christi verò 1519. Maximiliano I. Rom. Imp. & Alexandro VI. P. M. Scripta eius hæc leguntur. Super tit. de act. & institutis lib. 1. Super codice lib. 9. Super ff lib. 50. Scripsit & Epistolas diuersas: & orationes. Et Epithalamium Maximiliani Imp. & Mariæ Blanchæ. Et super totum ius ciuile.

JVXX

167







BAPTISTA MANTUANVS.

BAPTISTA Mantuanus, Monachus ordinis Carmelitarũ, vir multæ eruditionis, tam in Theologia, quàm in liberaliũ artium cognitione, ideo à sui ordinis religiosi Princeps, siue Antistes generalis communi omnium suffragio electus est. Philosophus excellens, & studio literarum Hebraicarum clarus, quas Theologis necessarias in primis iudicabat. Ac ne videretur aliquid intactũ relinquere, ad Poësim animum addixit, in qua mirum est, quam breui tempore profecerit: in qua facultate dictus est iter aperuisse posteris, ad Heliconẽ & Parnassum, multis iam retro actis sæculis spretum & inusitatum. Fueruntque eius scripta tanto in precio & æstimatione, vt Baptistæ Hispaniolæ (sic enim cognominabatur, licet Mantuæ natus) opera cum Vergilianis conferrentur. Pius

interim fuit , & sui ordinis obseruantiffimus, sobrius in victu , & vitæ continentiffimus; quique existimaret piaculum grande , si quis sacrosancta Poësi in impudicis amoribus , & nugis abuteretur : quæ non nisi ad res sacras, sanctorum & bonorum virorum laudes diuinitus litteratorum animis inspirata erat. Florebat anno Christi 1494. Maximiliano Imperatore tota Italia celebris. Mortuus est Mantuæ in patria, 81. ætatis suæ anno. Scripsit plurima: ex quibus hæc citantur præcipua. De beata vita ad patrem suum lib. 1. Suburbanũ de Bucol. lib. 1. vita Parthenices lib. 3. de S. Catharina lib. 1. De calamitate suorum temporum libr. 1. Panegyricum Roberti, & somnium de eodẽ. Liber Epigrammatum ad Falconem. Consolatio super morte, & de mortis contemptu lib. 11. De expugnatione Granatæ lib. 4. De vita Ludouici Bononiensis lib. 1. vita Alberti Carmelitæ lib. 1. cõtra Poëtas turpiloquos lib. 1. De ortu religionũ lib. 1. Apologia pro fratre Petro lib. 3. Introductoriũ subtilis Scoti lib. 1. Orationũ lib. 1. Carmina diuersa, & Epistolæ variæ ad diuersos. Et de Patientia prosa oratione.







RUDOLPHUS AGRICOLA.

RUDOLPHVS Agricola natione Frisius, in pago nō procul à Groninga natus, parentibus honestis, sed tenuioris fortunæ. Is à prima ætate bonarum literarum studio flagrans totum se Musis dedit: vtque posset maiores suarum lucubrationū fructus referre, Groninga, vbi prima studiorū fundamēta feliciter iecerat, discedens, in Brabantiam ad Louaniensem Academiā se contulit, vt auditione doctissimorum, quibus ea Ciuitas semper fuit celebris, perfectiorem rerum cognitionem sibi adquireret. Neq; eum spes fefellit, nam vt ingenio erat excitato, & indefessi laboris, tantum breui profecit, vt Lauream philosophicam adeptus sit. Vtque posset in Græcis literis promoueri, iam ætate prouectior, cum alijs suæ nationis studiosis iuuenibus, in Italiam profectus est, fama tot clarorum

rum virorum illectus. Docebat tunc Ferrariæ vir singularis famæ Theodorus Gaza, sub cuius doctrina & institutione Agricola eo usque prouectus est eruditionis, vt iam nulli condiscipulorum in cognitione linguę Græcę cedere videretur. His ornatus dotibus, & eruditione locupletatus, in Germaniam redijt, vbi omnium applausu vbique est exceptus: certabatur enim passim, quis Agricolam apud se retineret: Vicerunt tandem Heydelbergenses Academici, qui illū ad se attraxerunt, amplissimis Palatinorum Principum stipendijs. Ibi igitur disputationum Logicarum Moderator factus, Aristotelicę Philosophię interpret accuratissimus iudicatus est: Professor non solū diligens, sed scriptor assiduus. Edidit enim librum de inuentione Dialectica: De vniuersalibus quæstiones aliquot. In orationem pro lege Manilia. Progymnasmata Aphthonij Sophistæ. Præexercitamenta Prisciani. Orationes aliquot. Epistolas. Parænesin Isocratis ad Dæmonicum. Luciani Mycillum, & lib. de non credendis delationibus: aliaq; plurima. Mor-

RVDOLPHVS AGRICOLA. 175

tuus est Heydelbergæ Anno Christi 1485. Sepultus apud Franciscanos habitu S. Francisci amictus. Eius Epitaphium hoc tantum continet. Deponenti anathema; Relinquenti Benedictio. Super monumento ad parietem affixa est tabula cum hac inscriptione Hermolai Barbari Patriarchæ Aquileiensis.

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum

Agricolam Frysu spemq; decusq; soli.

Scilicet hoc viuo meruit Germania laudis,

Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Et in superiore monumenti parte, hæc adscripta sunt.

Rodolphi Agricole Phrysi memorie posuit Viglius Zuichemus.







HERMOLAVS BARBARVS.



ERMOLAVS Barbarus, ex illustri Barbarorum apud Venetos ortus est familia: cuius nobilitas excellēti doctrina, & rerum publicarū vsu æquata est. Existimatus enim est sui seculi

eruditissimus, & eloquentissimus. Et hanc rerum scientiam ornabat corporis vegeti præstantia, decor, & viuacitas in vultu, mores politici, gratia in omni actione, & suavis facilitas in conuersatione, & societate amicorum. Hæ tã insignes animi corporisq; dotes illum gratum reddebant omnibus, potissimum suis Venetis, quorum rempublicam consilij, & prudentia plurimum iuuit, & promouit; primū semper locum inter suos apud Principem obtinens, qui eius familiaritate, & consuetudine

Z familiari

familiari mirum in modum delectabatur. Hæc virtutes illum commendarunt Alexandro VI. Borgiae P. M. à quo literis inuitatus est vt Romam veniret, & Pontificis amicitia frueretur. Eò postquã venisset, præsentia tanti viri famã de eo sparsam auxit: charus fuit Pontifici, charus toti Apostolico Senatui, charus omnibus extitit: neq; mirum: Gloria enim erat Nobilitatis Venetæ, & sui sæculi splendor. Vt igitur tantis animi dotib. aliquis tribueretur honos, Alexander illum creauit Patriarcham Aquileiensem, adprobantibus hanc electionem omnib. Cardinalib. & Ecclesiæ Præsulib. apud quos aliquandiu magna cū laude, & admiratione versatus erat. Sed nõ multo post Romæ, contagio pestis sæuiente, è vita sublatus est, ad collem hortulorũ quò secesserat: sepultusq; ad portam Flaminiam (quæ est porta Populi) Anno Domini 1494. Illi tale Epitaphium positum est.

Barbariẽ Hermoleos Latio qui depulit omnẽ,

Barbarus hic situs est: vtraq; lingua gemit.

Vrbs Venetũ vitam, mortẽ dedit incluta Roma.

Non potuit nasci, nobilius sue mori.

Antequam moreretur factus erat Patriarcha & Archiepiscopus Aquileiensis, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

Tot tantisq; dignitatibus, honoribus, & facultatibus locupletatus, non desijt tamen in tam variarum curarum, & occupationũ fluctibus, aliquas horas surripere, quas Musis tribueret, & dulciorib. studijs impenderet. Non enim sibi soli natum se esse credidit, sed posteritati, cuius commodis & vtilitati consulere pulchrum esse iudicauit. Quod vt præstaret, indefinentibus lucubrationibus, & indefatigato labore scripsit plurima, quæ ad hodiernũ diem Reipublicæ literariæ magno cum fructu communicantur, vt sunt: Castigationes in Plinium. Liber contra barbaros Philosophos. Liber de cœlibatu. Quæstiones Geometricæ lib. I. Conuenientia Astronomiæ & Medicinæ lib. I. Compendium Galeni, lib. I. lib. de præceptis conscribendæ Historiæ ad Sabellicum. Rhetorica Aristotelis. Dialectica vniuersa. Interpretatio Dioscoridis. Tractatus de fide Catholica Patriarchæ Constantinopolitani con-

180 *HERMOLAUS BARBARUS.*
tra Turcas, quem Latinum fecit. Plutarchi Isis & Osiris. Præfationes in Paraphrasim Physicas Themistij, in libros Aristotelis. Castigationes in Pomponium Melam. Præter exactam in Philosophicis cognitionem Poëta fuit tersus, grauis & lepidus. Scripsit carmine de re vxorica. Et versuum de varijs tractatibus plusquam duodecim millia. Extant & illius orationes plurimæ, & epistolæ: & infinita opuscula, de quibus expressè tractant Guesnerus, & qui Biliothecas collegerunt.









JOAN. PICUS MIRANDULA.



JOANNES Picus, Mirandule Dominus & Cōcordiæ Comes, ab Italis Phœnix cognominatus, quod præter suæ gentis illustra stemmata, antiquã familiæ nobilitatē, vir fuit omnibus corporis animique dotibus excultissimus: Princeps formosus, comis, facetus, morumque integritate & gratia omnes ad amicitiam, & sui admirationem pelliciens. Doctrinæ enim erat admirandæ, & eloquentiæ faciendæque primariæ: in disputationibus subtili ingenio, & perspicacissimæ prudentiæ. Exactè tenebat linguas Græcam, Latinam, Hebræã, Chaldaicam & Arabicam. Utque erat excelsi spiritus, ingenioque ad maxima quæque euecto, ardore iuuenili impulsus Romam venit, ubi conclusiones nongentas, in omni scientiarum

tiarum genere disputandas proposuit; quarum quingentæ sunt in Philosophia veterum, Mathematica, Cabala & Magia. In quib. inuictū se, & admirabilem omnibus præstitit, cū omnibus tanto ingenij acumine, tanta facundia, tanta gratia respóderit, vt de omnibus triumphum retulerit. Eius opera hæc sunt. Heptaplus de opere sex dierum Geneseos. Tractatus de Ente & Vno. Oratio de hominis dignitate. De Christi regno, & vanitate huius mundi. Commentaria in Psalmos. De Phantasia lib. 1. De vanitate Astrologiæ, & de diuinationibus quæ per eam fiunt. Mortuus est Florentiæ 33. annos natus. Anno Christi 1483. (quo Carolus octauus Galliæ rex Neapolim ingressus est) Sepultus est ibidem, in templo S. Marci. Eius tumulus adscriptum est.

D. M. S. Ioannes iacet hic Mirandula: cætera norunt & Tagus & Ganges; forsan & Antipodes. Obijt Anno Salutis M. CCCC. LXXIX. VIXIT ANNOS XXXII. Hieronymus Beniuenius, ne disiunctus post mortem locus ossa separaret, quorum animos

in vita

in vita coniunxit amor, hac humo supposita
poni curauit. Obijt Anno M. D. XXXXII. Vixit
Annos LXXXIX. Mens. VI.

Ioannes Frãciscus Picus Mirãdula, Galeo-
ti Pici filius, Græcè & Latinè doctissimus: is
Ioãnis Pici patruī institutus exemplo, omnem
operam nauauit, vt aliquam perfectionem in
rerum cognitione obtineret: in qua nulli sui
sæculi erudito cedere visus est: scripsit enim
per se plurima: & quæ patruus imperfecta re-
liquerat, ea collegit, & absoluta publicauit.
Ipse autem scripsit libros nouem de rerũ præ-
notione. De veritate religionis, contra super-
stitiosas vanitates. De morte Christi & pro-
pria cogitanda lib. 3. De studio diuinæ & hu-
manæ Philosophiæ lib. 2. De diuini amoris
imaginatione. Scripsit & vitam Ioannis Pici
patruī sui. Defensionem opusculi de Ente &
Vno à patruo conscripti. In sermonem admo-
nitorium gentium Iustini Martyris. Declara-
tionem capitis, in Christo Pater, & Christus in
nobis: quod à Gratiano ponitur in Decret. de
conf. dist. 2. Staurosticum poëma Heroicũ,

de myfterijs dominicæ crucis. De fide, & ordine credendi theoremata ad Iulium II. P. M. Epistolarum libros 4. Historiam fuorum temporum vniuerfam. Librum de Prouidentia. De Dialectica ad filium lib. 5. Hymnos carmine Hexametro. Dialogum de ferena consciëntia. Transtulit ex Græco in sermonem Latinũ Theophrasti librum de igne. Examen vanitatis doctrinæ Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ. De appetitu primæ materiæ, de elemētis, de imitatione styli, ad Petrum Bembum. Et de immortalitate animæ. Hæc & alia plurima leguntur opera huius Ioannis Francisci Pici, qui tandem cum Alberto filio immaniter cœsus est à Galeotio fratris filio. Habuit pro symbolo & emblemate S. Francisci effigiẽ, cum inscriptione AMORIS MIRACVLVM. quo ostēderet amicos eo affectu erga se inuicem esse debere, vt communicent cū omnibus passionibus amicorum: & hoc symbolum acceperat à Patruo Ioanne Pico: quod & sculpi aureis ducatis quos cuderunt, vterque voluit.







M. ANT. COCCIUS SABELLIC.



ARCVS Antonius Coccius natus est in villa Varronis, via Valeria, ad Anienem Fluvium, qui ex Trebianorum montibus ortū ducens, in Tyberim supra Romam illabitur. Coccij pater fuit faber ferrarius, homo plebeius, & sua arte victitans, facultatibus nō admodum magnis: quas tamen lubentissimè impendit, vt filius liberaliter institueretur, quē mira ingenij promptitudine, & discendi cupiditate ferri animaduvertebat. Puer breui temporis spatio tantum in bonis literis promotus est, vt adhuc impubes Tibur se contulit, ibique iuventutem in schola publicā instituit summa felicitate, simulq; alios docendo seipsum instruebat in omnium artium liberalium scientia: in quibus tantos fecit progressus, vt à lite-

190 *M. AN. COCCIUS SABELLIC.*
ratorum collegio Romam sit accersitus Pomponij Lati sollicitatione, qui eo tempore primum locum Romæ inter eruditos obtinebat. Is Coccjum obtulit sodalitio doctorum, qui illum solempni ceremonia, & cõmuni omniũ consensu sacra Laurea in Quirinali coronarunt, illi q; Sabellici nomen indiderunt. Moris enim erat, vt qui Laurea Romæ coronaretur, nomen mutaret. Sabellici fama excitus Venetorum Senatus (qui semper doctos amauit) illum ad se Roma euocauit, vt publicas scholas moderaretur, constituto illi trecentorum ciquinorum aureorum stipendio. Vbi postquam aliquot annis summo omnium applausu docuisset, & à Bessarione Cardinali Niceno, & Patriarcha Cõstantinopolitano Bibliothecæ (quam libris ex Græcia in Italiam comportatis instructissimam Venetijs erexerat) præfectus esset, iam senex in amorem nescio cuius scorti illectus, tandiu turpi Veneri, cui assuetus erat à iuuentute, operam dedit, donec morbo Gallico lethaliter afflictus, magno suo, omniumq; dolore extinctus est Anno ætatis

M. AN. COCCIUS SABELLIC. 191
tatis ferè septuagesimo: Christi verò 1507. vnde
de eo quidam scriptum reliquit:

*In venere incerta tamen hic contabuit, atq̄
Maluit Italicus Gallica fata pati.*

Conditus est sepulchro quod sibi fabri-
carat: cum hac inscriptione.

*Quem non res hominum, non omnis ceperat
etas,*

Scribentem capit hæc Coccion urna brevis.

M. Ant. Coccius Sabellicus viuus sibi F.

Illius opera elegantissima & eruditione
plena hæc extant: Historia de gestis Venetorũ
libris 33. Rapsodiæ historicæ Enneades vnde-
cim. Exemplorum Ethnicorum & Christia-
norum per omnes gentes factis dictis uè insig-
nium libri 10. Epistolarum familiarium lib. 12.
Orationes 12. De situ vrbs Venetæ lib. 3. De
Venetis magistratibus lib. 1. De Prætoris offi-
cio lib. 1. De officijs Scribæ lib. 1. Genethliacũ
vrbs Venetæ: De apparatu eiusdem. De vetu-
state Aquileiæ. De ortu & vetustate Vincentiæ.

De

192 *M. AN. COCCIUS SABELLIC.*
De tumultu Italiae. De luctu Coriolani. De
munitione & cæde Sontiaca. De incendio
Carnico. De Barione cymba. De origine Hū-
ni vel Vtini. De rerum artiumq; inuentorib.
De laudibus Deiparæ virginis Elegiæ 13. De
reparatione linguæ Latinæ lib. 2. Annotatio-
nes in Plinium, Liuium, Valerium Maximũ,
Lucanum, Papinium & Catullum, quæ prio-
res dicuntur. Item posteriores in Plinium, Ci-
ceronem, Lucanum, & Argonautica Flacci,
& interpretatio Paraphrastica in Suetonium
Tranquillum.





Optus Alexander carus per hunc innotuit
 Que librorum innotuit eius nom

Bb





HIERONT. SAVONAROLA.



IERONYMVS Sauonarola Ferrariæ ad Eridanum natus, inter Dominicanos, quorum ordinẽ sequebatur, & habitum sumperat, Prædicator acerrimi ingenij, summæ doctrinæ & eruditionis. Vir austeræ vitæ, & morum sanctimonia omnibus admirandus: vehemens in reprehendendis vitijs, eloquentissimus in concionibus: tanta vi dicendi, & facundia pollebat, vt quò vellet animos auditorum persuasos flecteret. Ideo quoties ad populum verba haberet è suggestu, tantus ad illum audiendũ cõfluxus erat, vt amplissima templa multitudinem capere non possent. In eo maximè incumbens, vt religionem incuria Pontificum neglectam restauraret, & repurgaret ab igno-

rantia multorum, qui instruendæ plebi præfetti erant. Cumq; propterea miraculo esset omnib. & vbique celebri exciperetur applausu, multam sæpius dicendi libertatem vsurpauit, non sine vitæ discrimine, & Pontificū Ecclesiasticorum inuidia. Neque tantum sacras literas tractabat, verumetiam Politicis se immiscebat, consilijs Principum communicans, & suadens liberè quæ bona, quæ honesta, & salutaria videbantur, nemini parcens, quoties reprehensione opus esset. Hæc licentia, & dicendi Parrhisia illi tandem obsuit. Prædixisse enim fertur Florentinis multo rerum successu tumentibus, & seditionibus, factionibusq; intestinis inter se dissidentibus, breui illis instare libertatis suæ subuersionem. Cumque in Alexandrum VI. P. M. liberiùs inueheretur, & eius mores amarulentiùs perfringeret, captus est Florentiæ, & in vincula coniectus, Pontificisque iussu, autoritate publica primò ad palum alligatus & strangulatus, tandem cū duob. socijs crematus est, Anno ætatis 55. mense 8. Christi verò 1498. 10. Kal. Iunij. Scripta hæc

HIERON. SAUONAROLA. 197

hec reliquit. Quadragesimale lib. 1. Super Psalmos & Prophetas. Compendium totius Philosophiæ tam naturalis, quàm moralis. Opus de diuisione, ordine, & vtilitate omnium scientiarum. Triumphum Crucis: Commentarios in Alcoranum, quod omni ratione carere probat. Et prophetiam, in qua multa de hoc nostro sæculo, & regnorum commotione prædixit.





*Littora Parthenopes dum tu, Pontane tenebas,
Ilic Castalides sedem habuere Deae.*

IOAN. IOUIAN. PONTAN.



OANNES Iouianus Pō-
tanus, Ponte Castellano
(quod est oppidum Vm-
briae Ceretanis proximū)
natus est, patre non igno-
bili, & mediocris fortunæ.

Is à prima ætate bonis di-
sciplinis eruditus, nulli sui sæculi Poëtæ, aut
Oratori, scribendo, vel docēdo cessit. Propter
insignem doctrinā, morumque præstantiam
Neapolin vocatus est, vt curam institutionis
fufciperet Alphonfi Iunioris Regis Arago-
num: Factus est & Epistolarum magister, suf-
fectus in locum Antonii Panhormitæ. His
dignitatibus auctus, mirum non est si multas
opes accumulauerit, sibi que palatiū sumptu,
& ornamentis insigne construxerit, quod ad-
huc hodie extat: sed infestatione geniorū ma-
lorum desertum. Scripta eius hæc sunt. De o-
bedien-

200 IOAN. IOUVIAN. PONTAN.
bedientia lib. 5. De fortitudine lib. 2. De liberalitate, de beneficentia, de magnificentia, splendore, & cultu, de coniuventia. De Principis educatione, & eius institutione. De Prudentia lib. 5. De magnanimitate lib. 2. De fortunali lib. 3. De immanitate. Dialogorum libri aliquot. De sermone lib. 6. De bello Neapolitano lib. 6. Centum Ptolomæi sententiæ factæ Latinæ, & commentarijs illustratæ. Poëmata plurima. De stellis lib. 5. Meteororum lib. 1. De hortis Hesperidum lib. 6. Lepidina siue pastorales Pompæ. 7. Bucolica Melissæus, Mæon, & Alcon. Amorum lib. 2. De amore coniugali lib. 3. Tumulorum lib. 2. De diuinis laudibus lib. 1. Hendecasyllaborum siue Baiarum lib. 2. Eridani lib. 2. Iambici, & Lyrici versus, & alia poemata. Mortuus est annum agens 77. Anno Salutis 1503. Sepultus Neapoli proprio sacello quod condiderat: in conditorio quod eius, Ariadnes vxoris, & liberorum ossa complectitur. Cui inscriptum est. Ab hoc Pontanorū conditorio ne mas ne foemina ex agnatione arceatur. Pontani Epitaphium tale est.

Viuus

JOAN. IOUVIAN. PONTAN. 201

Viuus domum hanc mihi paravi, in qua quiescerem mortuus. Noli obsecro iniuriam facere mortuo, viués quam fecerim nemini. Sum etenim Ioan. Iouianus Pontanus, quem amauerunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestauerunt Reges Domini. Scis iam quis sim, aut qui potius fuerim. Ego verò te hospes noscere in tenebris nequeo, sed te ipsum vt noscas rogo. Vale.

Totum sacellum circumquaque marmoreis tabulis cum inscriptionibus elegantibus est exornatum, & extrinsecus doctissimis sententijs insignitum.





RAPHAEL MAFFEUS.

RAPHAEL Maffeus Volaterris
 Hetruniæ vrbe ad Cæcinnâ flu-
 uium sita originē ducens, gen-
 te nōbili, & autoritate apud
 suos clara. Hic Raphael primos
 ætatis annos studijs bonarum disciplinarum
 impendens, in virū doctissimum euasit; quod
 eius scripta satis testantur. Vir fuit habitu cor-
 poris venusto, facundia elegante, & morum
 grauitate vitæque sanctimonia clarus Eius o-
 pera præcipua hæc citantur. Commentariorū
 Urbanorum libri triginta octo. Oeconomi-
 cum Xenophontis ab eo interpretatum. De
 Principis & Ducis officio lib. i. Monodia seu
 funebris oratio Gregorii Nazianzeni latini-
 tate donata. Instituta Monachorum. Præco-
 pij Cæsariensis de bello Persico & Vandalico
 lib. 2. De fide Christiana lib. 10. Basilij oratiun-
 culæ decem. Et alia quædam ex Græcis Theo-
 logis,

logis, quæ in latinum sermonem transtulit, magna cum laude, & reconditæ eruditionis adprobatione. Vixit inter suos quietè, & præcipua admiratione virtutis. Mortuus est Volaterris in patria, annos natus plusquam septuaginta: Christianæ verò salutis Milesimo quingentesimo vigesimo primo. Conditus est in templo Sancti Lini prope summum altare, arcu marmoreo, vbi eius imago faxea incumbens arcæ, quæ ossa continet, posita est cum hac inscriptione. SIC ITUR AD ASTRA: Arca marmorea qua corpus clauditur, laureâ in modum coronæ triumphalis implexâ habet, vbi sculptum est. ΑΠΝΟΟΣ ΠΝΟΩ. Et infra tale legitur Epitaphium.

CHRISTO SERVATORI.

RAPHAELI MAFFEO GERARDI
MAFFEI F. DOCTRINA PIETATE AC
SANCTITATE CVM QVOVIS ANTI-
QVO COMPARANDO, VT EIUS INDI-
CANT OPERA EGREGIA, TESTAN-
TUR MIRACVLA. VIXIT ANNOS LXX.

MENS.

RAPHAEL MAFFEVS. 205

MENS. XI. DI. VIII. OBIIT ANNO SA-
LVTIS M. D. XXI. VIII. KAL. FEBRVAR.
MARIVS MAFFEVS EPISCOPVS CA-
VALICENSIS FRATRI SANCTISSI-
MO P.





PHILIPPUS DECIUS.



D HILIPPVS Decius natus
Mediolani, clarissima & o-
pulentissima Galliaë Cisal-
pinæ vrbe: Parentes eius ex
Dexio originem ducebāt,
familia honesta, & locuple-
te. Philippus à pueritia lite-
ris optimè institutus, Iurisprudentiæ cog-
nitionem tantam acquisiuit, vt tota Italia suo té-
pore clarissimus omniū haberetur, ab omnib.
ferè Academijs expetitus, & proposito lucu-
lento stipendio accersitus, quod ad mille &
quingentos aureos nummos peruenit annua-
tim pro lectura. Tanta fuit eius autoritas, tan-
ta æstimatio, vt amictus aurea toga suggestum
ascenderit, stipatus infinita auditorum fre-
quentia, qui Præceptorem titulo excellentif-
simi Iurisconsulti ornabant. Illius opera sunt
hæc præcipua: Consiliorū libri quatuor. Cō-
mentaria

mentaria de regulis Iuris. Lecturæ super Decretalia & super ff. & codice: & alia quædam, quæ à Legum studiosis magna cū vtilitate leguntur. Postquam in omnibus Italiae Academicis Ius publicè summa cum gloria docuisset, Senas tandem se cōtulit, vbi mortuus est, Anno Christianæ salutis M. D. xxxv. Eius corpus conditū est in campi sancti peristylio, sub arcu magnifico, sepulchro elaboratissimi marmoris, vbi & eius videtur sedens statua. Epitaphium tale legitur.

PHILIPPVS DECIVS SIVE DE DEXIO MEDIOLAN.
IVRISCONSULTVS CELEBRI FAMA NOTISSIMVS, CVM
PRIMVM LOCVM STVDII IN IVRE CANONICO VEL CIVILI
TENVISSET PISIS, SIENÆ, FLORENTIÆ, PADVÆ,
PAPIÆ, ET DEMVM VLTRA MONTES IN GALLIA, RE-
VOCATVS IN ITALIAM AB EXCELSA FLORENTINO-
RVM REPUBLICA, POSTEA QVAM STIPENDIVM MILLE
QVINGENTORVM AVREORVM IN AVRO PRO LECTV-
RA CONSECVTVS FVISSET, DE MORTE COGITANS
HOC SEPVLCHRVM SIBI FABRICARI CVRAVIT NE PO-
STERIS CREDERET.







ACCIUS SINCERUS.

ACCIUS Sincerus Neapolitanus, patre equestris ordinis, viro claro inter suos & luculentarum facultatum. Hic Accius prius vocabatur Iacobus Sannazarius, quod nomē gentilitium mutauit iā adultior. Is propter doctrinam, facundiam insignem, morumq; facilitatem Ferrando Aragonum Regi factus est amicus, & inter chariores aulicos, & familiares receptus, cuius amicitiam singulari fide & constantia coluit quamdiu vixit. Expulsum enim Neapoli Regem in Galliam vsque exulem secutus est: unde reuersus ab eo multis honoribus, & beneficijs affectus est. At inter aulica munia, seriasq; occupationes, non desijt bonas sequi Musas, & doctissimis lucubrationibus augere, & promouere Rempubicam literariam: potissimū illo insigni Poëmate De partu virginis: in quo

de perfectione poëseos videtur cum antiquis decertare. Composuit & Lamentationem de morte Christi, & Eglogas aliquot, & Epigrammatum perfectissimorum librum. Cassandrâ habuit coniugem eximiæ castitatis & eruditionis mulierem. Mortuus est annum agens septuagesimum secundum: Sepultus est ad Mergillenem villam amœnissimã, quam habuit ad radices montis Pausylippi ad littus marinum, in templo S. Mariæ, quod ipse condiderat & dedicarat. Monumentũ est sumptuosissimum ex marmore candido: in cuius elatiore parte Accij est statua pectore tenus, cum hac inscriptione: ACCIVS SINCERVS: Subtus est ingens Pyla marmorea, qua defuncti corpus clauditur: ad sinistram est Apollinis statua, ad læuam Mineruæ. Inferiori parte legitur Epitaphium hoc breue.

DA SACRO CINERI FLORES. HIC
ILLE MARONI
SINCERVS M V S A P R O X I M V S
V T T V M V L O.

VIXIT ANN. LXXII. M. I. D. XXIX.
Egres

Egressis templum Sanctæ Virginis apparet femita inter lauros, & amœnas arbores, per quam conscenditur ad sepulchrum Vergilij, quod non multo spatio distat medio Pausylippo. Hodie tantùm moles rudis, & aspera extrinsecus: Pars interior est camerata forma rotunda, in medio conspicitur ingens basis, super qua ante aliquot annos reposita erat vrina lapidea in qua claudabantur Vergilij cineres: sed factum est, vt ab aliquibus scholasticis furto sublatis sint, dum nemo sacrilegium tantum timeret: Hæc causa fuit cur ex marmoribus, quibus monumentum erat ornatum, extrueretur templum inferius, dedicatum S. Mariæ, à Pied' di grotta dictum: ad Basim quæ cineres Poëtæ continebat scriptum erat.

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet
nunc*

Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Hodie & hæc inscriptio sublata est: sed super ostio monumenti alia tabula marmorea suspensa est: in qua hæc leguntur.

*Qui cineres? tumuli hic vestigia: conditur olim
Ille hoc qui cecinit pascua, rura, duces.*

Totus Paufylippus ingenti & alta spelunca patet, per quam ex Neapoli Romam itur Puteolos, & Baias; Hunc ingentē & horrendum antri peruij meatum afferunt factum fuiffe à Vergilio arte Magica, sed fabulam esse verifimile est: aut fuiffe alium Vergilium diuerfum à Marone Andino. De hoc Mago Vergilio proditur historia à recentioribus, illum adamaffe scortum Romanum, quo vt potiretur corbi fe imponi permisit, vt ad fenestram attolleretur cubiculi meretriculæ, quæ illū appensum funi spectandum propofuit populo. Hac petulantia irritatus Vergilius, arte magica effeciffe dicitur, vt ignis totayrbe extingueretur: & vt flammę copiofæ scintillarēt ex pudendis mulierculæ, ex quibus oportuit vnūquemque ignem accendere: & locus vbi hæc gesta dicuntur adhuc hodie ostenditur ad arcum Titi Vespafiani, ad dextram descendentibus ad Amphitheatrum: sed ridicula est fabula & commentum.





HULRICHUS ZASIUS.



VLRICHYS, vel V-
dalrichus Zasius patriã
habuit Cõstantiam vr-
bem celebrem Sueuiã,
ad lacum Potamicum
sitam, quẽ Rhenus me-
dium præterlabitur: o-
lim Gannodurum teste

Pto!om. libr. 2. cap. 9. Parentes Zasij honesti
fuerunt ciues, & fortunã mediocris. Is natus
est Anno Domini 1461. Abineũte ætate Phi-
losophiã, & studijs bonarum disciplinarum
operam dedit. Postea Iurisprudentiã summa
diligentia incumbens, in ea perfectissimã co-
gnitionem acquisiuit. Friburgum tandem ab
Academicis Cõstantia vocatus, stipendioque
non vulgari proposito, Curiã præfectus est, &
in Doctorum Iuris collegium communibus
totius Academiã suffragijs adoptatus, cuius

E e postea

postea decus, & ornamentum eximium extitit, leges docendo, & scribendo, præsertim de instaurando Iure municipali. Eius opera sunt hæc. Intellectus singulares. Commentaria in legem 2. De Origine Iuris. Tractatus substitutionum. De infantibus Iudæorum baptizandis. Apologia contra Eccium. Item contra Stellam Aureliensem, Epitome in vsus Feudales. Summa in digestum vetus. Lecturæ in aliquot titulos primæ partis Digesti veteris. In titulum, si certum petatur in 2. parte. Super tit. de Actionibus in Institutis. Consiliorum libri duo: & alia quædam, quæ imperfecta reliquit.

Diem postremum obiit Friburgi Brisgoiæ, ubi sepultus est, in summo templo, monumento satis splendido, cum hoc Epitaphio.

HVLRICO ZAZIO IVRISCONSVLTO SVORVM
TEMPORVM TOTO ORBE CELEBERR. HVIVS
ACADEMIÆ ORNAMENTO SINGVLARI FRIBVR-
GEN. IN RESTAVRANDO IURE MVNICIPALI
IAM OLIM STRENVAM OPERAM NAVANTI A-
LIISQ: MVLTIS NOMINIBVS DE SE BENEME-
RITO MAGISTRATVS OFFICII MEMOR FIERI
IVSSIT.

CONCESSIT NATVRÆ ANNO SALVTIS
M. D. XXXV. VIII. KAL. DECEMB.







DESIDERIVS ERASMVS.



ESIDERIVS Erasmus
natus Roterodami vrbe
Batauorum non ignobili,
Anno Christianæ salutis
1465. Prima studiorum ru-
dimēta posuit Dauentriæ,

Præceptore Alexandro Hegio viro literatissi-
mo, & iuuentutis moderatore celeberrimo:
Sub cuius disciplina cum satis profecisset, Lo-
uanium Brabantiaë Academiam petiuit: ibiq;
in omni bonarum disciplinarum exercitio a-
nimum instruens, magnam de se omnibus ex-
pectationem concitauit. Vnde Cantabrigiã,
& Bononiam se conferens, illic quoq; diligen-
tem in studijs nauauit operam. Tandem ad sa-
cram Theologiam animũ applicans, Docto-
ratus gradum Taurini suscepit. Cum autem
adhuc esset iuuenis, habitum monachalem
sumpserat, vt literis posset in cœnobij recessi-

bus liberius vacare. In ea tamen professione non diu perseverauit, quæ ad institutum vitæ, quam sibi proponebat, non admodum facere videretur: cum statuisset omnes Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ Academias perlustrare. Factum igitur breui est, vt ob inæstimabilem in omni liberalium artium eruditionem, & admirabilem vim ingenij, facundiæq; vbertatē, & morum suauitatem, eius fama per omnes Christiani orbis regiones celebris vagaretur: propositisq; vberib. & honorificis stipendijs vndiq; vocaretur ad docendum, à præcipuis Academijs Europæ, à Pontificibus Romanis, à Regibus, & Principibus: Sed sui iuris esse maluit: & priuatis studijs incumbere, vacans scriptioni, quæ posset posteritati utilis & fructuosa haberi. Ferunt illi à Pontifice oblatam Cardinalitij status dignitatem, quam cum recusasset, cum miraculo à cæteris Patribus Ecclesiasticis exceptum fuisse hunc contemptum, vocatumq; *Erasmum sapientem bestiam*, qui tantam dignitatē, tamq; speciosos, & fructuosos titulos imprudenter respueret, quos alij sumis

mis votis, & laborib. ambirent, & quouis precio sibi compararent. Cumq; multis in locis maiorem vitæ partem charus omnib. exegisset, vrgente iam senio Basileam Rauracorum urbem se recepit, ad Rhenum sitã, loci amœnitate captus, & sodalicio multorum doctissimorum hominum, quibus ea ciuitas semper ornata est. Academia illius Rector factus, cū scholasticorum inordinatam licentiam, & petulantiam refrænare tentaret, ab ijs malè exceptum ferunt: His irritatum contumelijs fama est discerpisse, & cremasse priuilegiorum partem illius Academiae (quæ cum Magontina totius Germaniæ creditur antiquissima) vt his deperditis studiosæ iuuentutis proteruia retūderetur: quod aliquando me audiuisse recordor à piæ memoriæ Præceptore meo Hugone Babelo, qui tunc temporis Basileæ Erasmo vivebat amicus & familiaris.

Eius opera ferè infinita seruantur, multis in locis impressa, sed maximè in Frobenniana Typographia Basileæ, quæ omnia nouem Tomis complexus est. In primo Tomo continetur

tur hæc. De copia rerū ac verborū lib. 2. Theodori Gazæ, Grammatices Græcæ lib. 2. latinè redditi. De constructione octo partium orationis lib. 1. Ex Luciano versa opuscula. De ratione scribendi Epistolas lib. 1. Declamatio de pueris liberaliter instituendis. De ratione & ordine studiorum. Declamatio in laudē Medicinæ. Declamationes Libanij ab eo versæ. Parabolæ siue similia. Colloquiorū familiarium liber. De recta Latini Græciq; sermonis pronuntiatione. Ciceronianus Dialogus. De civilitate morum. Galeni Paraphrastæ Menodoti exhortatio ad artiū studia Latinè reddita. Galeni de optimo docendi genere. Epitome in libros elegantiarum Laurentij Vallæ. Euripidis Hecuba & Iphigenia. Commentaria in Nucem Ovidij, & Epigrammata varia.

In secundo Tomo continentur Adagiorum Chiliades quatuor.

In tertio Epistolæ, & præfationes in diversos autores.

In quarto habentur quæ ad morum institutionem pertinent ex Plutarcho versa. De descri-

descriptione adulatoris & amici. Quomodo
utilitas capiatur ex inimicis. De tuenda bona
valetudine. Vtrum grauiores sunt animi mor-
bi vel corporis. De cupiditate diuitiarum. De
cohibenda iracundia. De curiositate. De vi-
tiosa verecundia. Apophthegmatum libr. 8.
Encomium Moriaë. Panegyricus gratulatori-
us ad Philippum Maximilani Imp. filium. In-
stitutio Principis Christiani. Isocratis libellus
de regno administrádo. Declamatio de mor-
te. Quærela pacis profligatæ. Xenophontis
Tyrannus. De senectutis incommodis.

In quinto Tomo hæc collecta sunt. En-
chiridiũ militis Christiani. Oratio de virtute
amplectenda. Methodus compēdio perueni-
endi ad verã Theologiam. Paraclesis ad Chri-
stianæ Philosophiæ studiũ. Enarratio in primũ
Psalmum Davidis. Commētarius in secundũ.
Paraphrasis in tertium. Concio in quartum.
Enarratio in 14. & 22. Cõsultatio de bello Tur-
cis inferendo. De amabili concordia Ecclesię.
Enarratio in Psalmos 28. 33. 38. & 85. Concio de
magnitudine misericordiarum Dei. Virginis,
Ff & Marty-

& Martyris comparatio. Concio de puero Iesu. Epistola consolatoria ad virgines sacras. Christiani matrimonij institutio. Vidua Christiana. Ecclesiastæ lib. 4. Catechismus. Preca-
tionũ liber. Pæan & obsecratio ad beatam Mariã. De cõtemptu mundi epistola. Disputatio de pauore Christi instante mortis supplicio. Preparatio ad mortẽ. Odæ & Hymni. Institutũ hominis Christiani, & Odiliæ epitaphiũ.

In sexto Tomo est nouum testamentum cum annotationibus.

In septimo Paraphrases in vniuersum nouum Testamentum.

In octauo Theologica ex Græcis versa ex Chrysofomo, Athanasio, Origene, Basilio & alijs.

In nono hæc leguntur, Apologiæ ad M. Dorpium, ad Iacobum Fabrum, ad Iacobum Latomum, ad Iacobum Briardum, ad Iacobũ Lopim Stunicam. Aduersus Sanctium Carãzam. Nicolaũ Emondanũ. Prologus, Elenchus, Diuinationes, Supputationes in Natalẽ Bedam. Apologiæ aduersus Petrum Sutoris

Carthusiani. Declarationes aduersus censuras Theologorū Parisiensium. Responsio ad Petri Curtij defensionē. Apologia aduersus monachos quosdam Hispanos. De ciborū delectu, siue de hominū cōstitutionib. De libero arbitrio. Hyperaspistæ Diatribes lib. 2. Epistolæ aduersus Pseudoeuāgelistas. Ad Eleutheriū. Ad Grunniū. Ad fratres Germaniæ inferioris. Spongia aduersus aspergines Hutteni. Pentab. aduersus febricitantē quendam. Aduersus mendaciū. Antibarbarorum lib. Et aduersus impudentes quosdā graculos. Longum esset enumerare minora opuscula, & emédationes, castigationesq; autorū, tam Græcorum quàm Latinorum, quos Erasmus à barbarie, & mendis scriptorum repurgauit: de quib. omnibus exactè tractauit Gesnerus in sua Bibliotheca.

Lepida de Erasmo & Rege Angliæ Henrico VIII. Narratio.



IBET hoc loco subijcere lepidā narrationem, de ter maximo illo literarum præside Erasmo, quam retule-

runt viri primarij eius regni, Rebus enim à D. Martino Luthero per Germaniam in causa religionis passim motis, ob scripta quædam & conciones, quas communis patriæ & libertatis Germanæ asserendæ gratia contra Leonis X. bullas Italicas indulgentiarum ille habuerat publice, quæ sane non vulgus subditorum modò, sed & nobiles pariter & Principes, ipsosque adeò Reges & summos Monarchas totius Christianismi suspensos, & conturbatos habebant, vt qui euentus tantorum moliminum prospicere satis non possent. Inter cæteros verò HENRICVS eius nominis octauus, Rex Angliæ, diligenter & accurate super ea re inquirens, non tantum per suum regnum viros eruditione, & pietate insignes audiebat, sed & exteros accersebat, quorum iudicia exploraret. Eodem tempore Des. Erasmi Roterodami existimatio per totum terrarū orbem erat celebratissima, tam ob literarum humaniorū studia repurgata, quàm sacrę paginæ dexteriorem intelligentiam; Literis itaq; ad Erasmus scriptis hortatur eū, vt ad se veniat, qui tametsi

tametsi itineris difficultatem, aliasque incōmoditates caufaretur, Rex tamen non destitit, donec eū ad se pertraheret, erat enim grauiſſimum negocium cuius nomine cum eo conferre deſiderabat. Poſteaquam Erasmus in Angliam adueniſſet, Rex de præſentia eius certior magna ſolennitate eum excipit, deinde in priuatum colloquium eum aſſumens, multa de religionis controuerſia vltro citroq; ad aliquot dies cum eo confert, quo colloquio finito, vbi iã Erasmus reditū ad ſuos in Hollandiam vrgeret, veniã quidem à Regia Maieſtate ſed ſatis difficulter impetrata, digreditur, numeratis ipſi in honorarium 50. aureis Anglicis: Sed is dimiſſus, vbi ad viculum Graueſintam veniſſet, (vicus ille maritimus eſt & naues conſcenſuris vel egreſſuris primus patens.) ab Ordinarijs regijs inſpectoribus in illum ex officio inquitum eſt, (non tantum enim naues illi, ſed & perſonas ſingulas, cuiuſcunque vel ſexus vel ordinis fuerint tanta cura perquirūt, vt membratim etiam omnia perſcrutentur, ſi quid pecuniæ latentis penes eos

inueniant, vbi plus, quam quod viatico suffi-
 ciat repertum est, superfluum Fisco regio ad-
 iudicant, tantum solummodo relinquentes,
 quantum ad iter cuius institutum commode
 absoluendum satis esse videtur. Quare bonus
 ille noster Erasmus eò vbi venisset, loci & mo-
 ris ignarus, in eosdem inquisitores incidit, qui
 Anglicos 50 aureos repertos Fisco regio addi-
 cunt, monetâ reliquâ, quâ pro viatico secum
 habebat ipsi relicta. Erasmus rei insperatæ e-
 uentu suspensus, totque iam Angelottis mi-
 // nutus (vt qui aliâs ingenio esset sic satis auaro)
 à quibusdam admonetur, vt retro iter ad Re-
 giam Maiestatem institueret, & apud eandem
 de damno passo conquereretur, is ergò nisi pe-
 cuniæ iacturam pati vellet, vt pareret necesse
 habuit, quantumuis antea ab itum festinarit:
 quem vbi reuersum Rex in aula sua cōspexit,
 quasi rerum omnium ignarus, & rei nouitate
 motus, sic facete eum alloquitur: Ecquid rei
 nouæ Erasme hoc est, an in Hollandiâ reuer-
 sus nondum abijsti: Ille omnia vt euenerant
 ordine Regi subtristior exponens, de pecuniæ,
 suæ

suæ iactura Regem edocet, quibus Rex auditis in risum solutus & fideliter ab officiatis suis factum prædicans, bono animo esse Erasmi iubet, addēs simul, si secus à suis visitatoribus actum foret, suam Maiestatem in illos omnes laqueo animaduersuram fuisse. Ita ad triduum circiter denuò inter aulicos versatus Erasmus, tandem alijs quinquaginta Angelottis numeratis optimâ veniâ & salui conductus literis datis honorificentissime dimittitur: dantur etiâ literæ ad Visitatores, in quibus iuebantur priores 50. confiscatos Anglicos Erasmo restituere. Quare iam summa duplicata, id est centum Anglicorum aureorum (faciunt autem singuli aurei anglici duos Rhenenses aureos, siue in argentea nostra moneta tres florentinos vulgò sic appellatos.) Erasmus auctior ad Hollandos suos reuertitur, relinquens aulicis Anglis non illepidam sui recordationem.

Mortuus est Erasmus Basileæ annum agēs septuagesimum. Anni Christi 1536. Eidibus Iulij.

Eius

Eius corpus conditum est in summo templo, funus procuratoribus Nic. Episcopo, Hier. Frobenio, & Bonifacio Amerbachio, amicis & heredibus testamento relictis.

Super tumba sepulchri humi iacēte inscriptum est. DES. ERASMV M ROTERO-
DAMVM AMICI SVB HOC SAXO
CONDEBANT IIII. EIDVS IVLIAS.
ANNO M. D. XXXVI.

Tholo templi ingenti marmore hæc
excisa sunt.

CHRISTO SERVATORI. S.

DES. ERASMO ROTERODAMO VIRO
OMNIBVS MODIS MAXIMO: CVIVS IN-
COMPARABLEM IN OMNI DISCIPLI-
NARVM GENERE ERVDITIONEM PARI
CONIVNCTAM PRVDENTIA POSTERI
ET ADMIRABVNTVR ET PRÆDICA-
BVNT, BONIFACIYS AMERBACHIYS,
HIERONYMVS FROBENNIYS, NIC. EPI-
SCOPIYS HEREDES ET NVNCVPATI
SVPREMÆ VOLVNTATIS VINDICES
PATRONO OPTIMO NON MEMORIÆ

[QVAM

DESIDER. ERASMUS.

233

[QVAM IMMORTALEM SIBI EDITIS
LVCVBRATIONIBVS COMPARAVIT IS
TANTISPER DVM ORBIS TERRARVM
STABIT SVPERFVTVRO AC ERVDITIS
VBIQ. GENTIVM COLLOCVTVRO] SED
CORPORIS MORTALIS QVOD RECON-
DITVM EST ERGO HOC SAXVM PO-
SVERVNT. MORTVVS EST IIII. EIDVS
IVLIAS IAM SEPTVAGENARIVS. ANNO
A CHRISTO NATO M. D. XXXVI.





PETRUS BEMBUS.



ETRVS Bembus Patricius Venetus, præter illustré sui generis nobilitatem, illi accessit & doctrina singularis, facundia admiranda, & summa vitæ integritas. Quæ virtutes illum

patriæ, totique Italiæ commendarunt: Romano potissimum Pontifici: qui vt eius nomē gloriæ splendidioris titulo ornaret, & augustius redderet, Romanę Ecclesiæ, Senatusque Apostolici Cardinalem creauit: Amplissimisque beneficijs cumulauit. Is Ciceronianæ eloquētix sedulus admirator, & imitator extitit; Orator, Poëta, & Historicus suo tēpore nulli secundus, antiquis certè conferendus. Is plurimos ingenij felicitatis monumenta posteritati reliquit: inter quæ hæc habentur præ-

cipua. De imitatione sermonis lib.1. Epistolarum lib.1. Historiarum Venetarum lib.12. Scripsit & carmine poemata venustissimum Benacum. De Aetna, & de culice. Peruenit vsque ad annum septuagesimum septimum. Morti concessit Anno salutis 1547. 15. Cal. Februarij. Eius Epitaphium tale legitur.

O TVS CÆ O LATIÆ MV SÆ DE-
CVS OPTIME VATES ET VENETÆ
SCRIPTOR NOBILIS HISTORIÆ.
FLENS TIBI PURPUREOS FLORES
SPARGITQ. RECENTEM ADRIACVM
PELAGVS TYBRIS ET ARNVS A-
QVAM. ET NYMPHÆ INSCRIBVNT
TV MVLO HOC MISERABILE CAR-
MEN. MORS RAPVIT BEMBV M DE-
LICIAS HOMINVM.

XIXXX

237





PAULUS IOVIUS.

PAULVS Iouius Nouocomenſis vir multæ eloquentiæ, ingenijq; acerrimi, Medicinam primò exercuit nõ ſine felici ſucceſſu. Scripſitque librum de piſcibus Romanis. Poſtea ad Hiſtoriam ſcribendam animum adplicans, aliquot Pontificum Principumq; Italię, maximè Vicecomitum Mediolani vitas edidit. Elogiaq;, & Icones illuſtrium virorum, qui tam armis quàm literis clari euaserunt, ſcriptis ſuis adiunxit, quorum ipſe imagines ad viuum expreſſas Comi in ſuo Muſæo ſeruabat. Scripſit hiſtoriã ſui temporis, de rebus quæ quinquaginta annis geſtæ erant in Italia, Hungaria, Aſia, Africa, alijsq; regionib. In qua deſcriptione mirum eſt quantum laudis & famæ promeritus ſit apud poſteritatem. Licet eius hiſtoriæ libri ſex primæ decadis magna

gna reipublicę literarię iactura perierint, dum
 Roma capta est ab Hispanis, duce Carolo Bor-
 bonio. Expugnata enim vrbe, hostes mœnib.
 excepti omnia prædati sunt: Iouius paulo an-
 te suam historiam manu scriptam cum centū
 circiter libris argenti elaborati, & alijs aliquot
 preciosioribus suę supellectilis rebus recondi-
 derat in sacratio Mineruę, vt tutius illic asser-
 uarentur. Sed auaricia militū nihil intentatū
 relinquire, postquā templum Mineruę in-
 gressi Erreras Cordubensis, & Antonius Gam-
 boas Nauarręus Centuriones, tormentis &
 verberibus ædituum adegerunt, quę abscon-
 dita essent in suo templo palam faceret. Tum
 cum cæteris sacris Iouij scrinium in medium
 productum est: quo aperto Erreras vasa argē-
 tea ad se recepit, libris, quos inutilē sarcinam
 iudicabat, neglectis. At Gamboas cui plus iu-
 dicij fuit, contemptos libros accepit: Erant e-
 nim iam emendati, & membranis transcripti,
 concinneq; simul compacti, exceptis sex libris
 primę Decadis, qui chartaceis libris mandati
 erant. Membraneos Gamboas abstulit, nil cu-

rans chartaceos (qui postea sordido ministerio adplicati, discerptique perierunt) cumq; cognouisset autorem sese recepisse in molem Adriani, quę Castellum sancti Angeli hodie nūcupatur, vbi Clemens VII. Pōtifex Maximus fuga elabens cum multis Cardinalibus, & Ecclesię patrib. se occluserat, Iouium per interlocutores adiit, & cum eo egit de redemptione suorum scriptorum. Is metu iacturę irreparabilis tantorum laborum & lucubrationum, non desijt importunus esse Pontifici, donec precio à Gamboa suos reciperet libros: quos Hispanus restituit, accepto aliquo beneficio ecclesiastico in patria, cuius donationem expedito diplomate confirmauit. Tantum enim Iouius autoritatis apud Pontificem adeptus erat, vt ab eo Episcopatu Nucerino donatus esset, præmio certè tanta virtute & doctrinā digno. Neque minore gratia apud magnum illum Cosmum, Florentinorum Principem valebat, cum quo aliquandiu vixit Consiliarius, & aulę sectator. Tandem Florentiæ mortuus est annum ætatis agens sexagesimū

nonum M. VII. D. XXII. post Christum natum 1552. tertio eidus Decembris. Eius corpus cōditum est in templo S. Laurentij: cuius monumento inscriptio hæc addita est literis tantum pictis, nam sepulchrum nullis ferè ornamentis illustre erectum est.

HIC SITVS EST IOVIVS ROMA-
NÆ GLORIA LINGVÆ:

PAR CVINON SCRIPTO NON
PATAVINVS ERAT.

In parte superiore ad parietem scriptum est.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS
EPISCOPI NV CERINI HISTORIA-
RV M SCRIPTORIS CELEBERRIMI
HIC DEPOSITA SVNT OSSA DONEC
EXIMIA EIVS VIRTUTE DIGNVM E-
RIGATVR SEPVLCHRVM. VIX. ANN.
LXIX. MEN. VII. D. XXIII. OB. III.
ID. DECEMB. M. D. LII.

243





MARC. HIERON. VIDAS.



ARCVS Hieronymus Vidas patriam habuit Cremonã, Galliæ Cisalpinæ urbem percelebrem, nõ procul à Mântua distitam. Huius parentes nõ fuerunt ignobiles, neque tenuium facultatum: qui filium bonis disciplinis institui summa diligentia curauerũt, adhibitis ad eius institutionem doctis, & solertibus præceptoribus. Cumque esset in Philosophiæ studio optimè eruditus tam in patria, quàm Mantuæ, Patauium missus est, vbi studiorum cursum absoluit: & Bononiæ, vbi sacris literis incumbens, & Poësi, tantum in ijs profecit, vt proximè ad Vergilianam excellentiam illum peruenisse omnes iudicent: cuius rei insigne testimonium præbet insigne illud, & nunquã satis

laudatum opus Christiados: Poëma procul dubio, quod tam materia, quàm cōpositione, & stylo debet meritò præferri cæteris omnibus scriptis, quæ à nostri sæculi poëtis melioribus tradita sunt: continet enim vitã Christi ac gesta libris 6. Scripsit & eadem felicitate De arte Poëtica lib. 3. De Bombycum cura & vsu lib. 2. De ludo scachorum lib. 1. Hymnos, Odas, Bucolica, & aliquot Epistolas, quæ omnia hodie non sine autoris admiratione, & æterna laude à bonarum literarum studiosis leguntur. Cuius virtutem & doctrinam vt aliquo honoris titulo, & commoditate compensaret Pontifex Maximus, Episcopatum Albæ illi detulit, donationem adprobantibus communi suffragio omnibus Ecclesiasticis Patribus. Mortuus est anno ætatis LIX. M. V. D. X. Florebat in Italia celebris, anno Christianæ salutis M. D. XXX.









BEATUS RHENANUS.

BEATVS vel Bildius Rhena-
 nus natus est Selestadij Alſatiæ
 oppido celebri, Anno Domini
 1485. Primis adoleſcentiæ annis
 in patria uſus eſt præceptoribus
 uiris doctiſſimis Cratone Vdêhemio, & Hie-
 ronymo Gebuilero, qui ſuo tempore primam
 laudē Seleſtadij obtinebant in inſtituenda iu-
 uentute; ad quod munus à Senatu propoſitis
 utrique optimis ſtipendijs delecti erant. Bea-
 tus autem iam in Philoſophia, & bonis literis
 eruditior redditus, Lutetiam Pariſiorum pro-
 ſectus eſt, ut in celeberrima, & florētiſſima to-
 tius Europæ Academia perfectam ſcientiarū
 cognitionem adipiſceretur. Vbi poſtquam
 aliquot annis degiſſet, voti cōpoſ factus, Baſi-
 læam Rauracorum urbem petiuit; tunc fama
 immortalis, & per totum orbem ſparſa flore-
 bat magnus ille Erasmus Roterodamus Ger-

230 *BEATUS RHENANUS.*

maniae Phoenix : cui statim familiaris & amicus intimus redditus est. Conciliant enim facile doctos viros arcto amicitiae vinculo bonae Musae. Beatus à multis Academijs, & Principibus proposita magna mercede, vocatus est ; quia tamen munia publica detrectaret, & literarium otium amaret, vitam priuatam maluit sequi, & domi viuere ex fortunis, quas ex annuo patrimonij reditu quotannis colligebat, vt liberius scriptio vacare posset. Scripsit enim obseruationes in Plinium. Rerum Germanicarum lib. 3. Annotationes in Liuium; Et Corn. Tacitum. Velleij Paterculi librum restituit. In Tertullianum argumeta & annotationes. Praefatus est in opera Senecae, in Theophrastum Aeneae, in omnia fere opera Erasmi, cuius vitam & mortem descripsit. Duas Gregorij Nazianzeni Epistolas vertit, & alia quaedam.

Mortuus est Argentinæ dum rediret ex Thermis Martijs, Anno Christi 1547. Eius corpus deportatum Selestadtum, & monumento, quod paratum illi fuerat, illatum. Vixit annos 62. menses 4.







LUCAS GAURICUS.

LUCAS Gauricus Fani Picentiorum vrbe, non procul à Senogallia, & Ancona ad mare Adriaticum sita, natus est: Parentes eius inter optimates patriæ censebātur. Fratrem habuit Pomponium, vterque optimis disciplinis optimè ab incunte ætate institutus est. Lucas Venetijs florebat inter eruditos Anno Christi 1550. Romam cum esset profectus, & Pauli III. Farnesij amicitiam sibi conciliaffet, propter eruditionem, Episcopatu donatus est. Alij Lucam hunc Neapolitanum fuisse asseuerant. Scripsit plurima: Alfonso Regis Castellæ, & Elisabethæ Reginae tabulas astronomicas castigauit: & tabulas Io. de Monte Regio, & Io. Blanchini, Laurentijq; Bonimecontri libros de reb. cœlestibus. Fecit & annotationes in Ptolomæi Almagestum, & Ephemerides. Scripsit & Isagogem in totam

ferè Astrologiam. Tractatus de ventis. De Aëris qualitate ex Theophilo. De peragrationsibus Lunæ, ex Hephestionis Thebani iudicijs. De conceptu natorum, & septimestri partu, ex Valente Antiocheno. Castigavit librum Homar de natiuitatibus. Et Abrahami Iudæi de ijsdem. Fecit & tractatum Astrologicum. Et Calendarium Ecclesiasticum 2000. annorum interstitio duraturum. Et de miraculosa ecclipsi, quæ in morte Christi contigit. Mortuus est Romæ Anno Domini 1537. Sepultus est in Capitolio, in superiori parte graduum Aræ cœli, prope Flauij Blondi monumentum. Eius epitaphium tale est.

D. O. M. S. LVCÆ GAVRICO GEOPHONEN. EPO. CIVITEN. OBIIT DIE VI. MARTII M. D. LVIII. VIXIT ANN. LXXXII. M. XI. D. XXVII.

Monumento adsculpta sunt eius insignia: sequitur.

D. D. SEBASTIANVS BENEINCA-
SA GEOPHONEN. ET OCTAVIANVS
CANIS BONON. HEREDES EX TESTA-
MENTO B. M. P.

LUCAS GAVRICUS. 255

Eius frater perijt in monte qui Stabijs
imminet, ad viam Surrentinam, cum mulie-
rem nobile, cuius amore flagrabat, adire vel-
let. Eius opera multa extant in Architectura,
Physionomia, & arte Chymica.







ANDREAS NAUAGERIUS.


ANDREAS Nauagerius ex illustri genere Nauageriorum, Venetorum Patritiorum ortum ducens, patriam nobilitatem cumulauit bonarum scientiarum cognitione, in quibus insigniter fuerat educatus, Venetorum instituto, qui nihil prius ducunt doctrina & eruditione, in quib. laudabili conatu decertant æquales, & eiusdem nobilitatis homines, quantum in illis est, superare. Inde illa prudentia, & Senatus magnificentia: qui proprie sapientes & opulenti dicuntur inter Italie populorum epitheta, à Lælio Cleopasso descripta: sicut Romani poposi & sancti: Neapolitani odoriferi & nobiles. Bononienses suaves & affectibus indulgentes. Florentini subtiles & cauti. Senenses blandi, & comes: & de reliquis. Nauagerius igitur tantam in Latina lingua puritatem acquisiuit, ut inter primos sui

Kk sæculi

ſæculi Oratores iure numerari poſſit, maximo in honore in Senatu Veneto ſemper habitus. Et propter doctrinam, animiꝫ promptitudinem & facundiam, prudentiamꝫ in rebus ciuilib. longa experientia, & maturo iudicio cõparatã, Legatus miſſus eſt ad Carolum V. Imperatorem, apud quem rebus ex animi ſentẽtia perfectis, reuerſus Venetias, paulo poſt à Senatu Legatus in Galliã electus, venit ad Franciſcum Valeſium Regem: Is vt Muſarum patronus, & literatorum omnium liberaliſſimus fautor ſemper fuit, Nauageriũ humaniſſimè excepit, & magnificè tractauit, nam in eo ſingularis decor corporis, anguſta facies, oculi honore lepido flagrantès, loquela melliflua, & quicquid gratiarũ Natura fauens homini tribuit, conſpiciebantur. His dotib. cumulatum Rex tanta beneuolentia amplexus eſt, vt ſine eius præſentia eſſe nõ poſſet. Accidit autem vt Bloeſij oppido ad Ligerim ſito, vbi aula regia tunc erat, febre correptus diem poſtremum obiuerit Nauagerius, anno ætatis ſuæ 47. cuius mortem Rex indigniſſimè tulit, funusꝫ pulato

lato habitu cum lacrymis est profecutus: tantumq; in eius obsequijs & iustis funebribus luctus fuit publici, ac si Gallia magnum aliquod praesidium amisisset. Tantum in se habet momenti praecleara virtus, vt etiam in peregrinis hominib. imo etiam in hostib. sit admirabilis. Nemini dubium est, si huic Nauagerio longior vita à Deo opt. max. prorogata esset, quin Venetos omnes autoritate & fama fuerit superaturus. Sed hanc illi fata immatura morte beatitatem praeripuerunt. Veneti tamen illi dū viueret, constituto amplissimo stipendio, munus delegarunt scribendæ Historiæ suæ patriæ: in qua tanta orationis facilitate, puritate, & elegantia vsus est, vt Tito Liuio inferior nulla ex parte habeatur; quod lectio ipsa euidenter testatur. Præter historiam de reb. Venetis, scripsit & alia quædam, quæ à literatis cum singulari delectatione leguntur: duas orationes elaboratissimas, & varia poematia, quæ excussa sunt Venetijs per Ioannem Tacuinum. Item aliquot eglogas, & eius obseruationes, & annotationes in omnia Ouidij Nasonis opera.

Erat enim Poëta, Orator, & Historicus abso-
lutissimus. Vnde non abs re de eo M. Anto.
Flaminius hoc elegans epigramma conscri-
psit.

*Quot Bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro soluta flores,
Quot spicæ Libycis calent in agris:
Quot vindemia porrigit racemos:
Quot vastis mare fluctuat procellis
Quum nascens pluuias reportat hœdus:
Quot ceruina frondibus teguntur:
Quot cœlum facibus micat serenum:
Quot sunt millia multa basiorum
Quæ dari sibi postulat Catullus:
Quot quæ sunt atomi Lucretiani,
Tot menses, bone Naugeri, tot annos
Vivent aureolitui libelli.*



VIII







JACOBVS SADOLETVS.



JACOBVS Sadoletus Mutinae vrbe Italiae natus est, parentibus nobilibus & locupletibus, primaque autoritate, & gloria inter suos praeditis. Hic cum inter Italos fama singularis doctrinae qua pollebat, celebris esset, à Leone decimo Pontifice Maximo Romam vocatus est, & Episcopatu Carpentoratensi in Gallia donatus est: in cuius administratione cum aliquot annis integrè, & fideliter sese gessisset, poscentibus omnibus Romani Senatus Patribus, à Clemente septimo in ordinem Cardinalium receptus est, magna totius Collegij Apostolici lætitia, & congratulatione. Scripta reliquit plurima: librum de pueris rectè ac liberaliter instituendis. De laudibus Philosophiae.

phiæ.

phiae. De regno Hungariæ à Turcis capto:
 Homiliam , cum Oratione exhortatoria ad
 bellum contra Turcas : Commentaria in E-
 pistolam Pauli ad Romanos lib.3. Interpreta-
 tionem aliquot Psalmoꝝ : Homilię aliquot,
 & Epistolarum lib. 16. Et duo Poemata, Cur-
 tius & Laocoon. Cumq; annum etatis septua-
 gesimum attigisset, in febrim lapsus, magno
 omnium bonorum dolore & tristitia, diē po-
 stremum obiit Romæ, non sine dati veneni
 suspitione. Quatuor enim hi Cardinales viri
 docti & boni, P. Bembus, Iac. Sadoletus, Cas-
 par Contarenus, & Căpegius, properata mor-
 te feruntur occubuisse: causam ignorāt multi,
 nisi quod fortè cū ijs qui à Romana Religione
 discordant, aliquam familiaritatem habuisse
 credantur. Corpus Sadoleti sepultū est Ro-
 mæ in templo S. Petri ad vincula, cum hoc
 Epitaphio.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO EPISCOPO CAR-
 PENTORACTIS. S. R. E. PRESB. CARD.
 VIRO MORVM GRAVITATE PRVDEN-

IACOBVS SADOLETVS. 265

TIA ET VITÆ INTEGRITATE PRÆ-
STANTISSIMO, DOCTRINA ET ELO-
QVENTIA CVM IIS QVOS MIRATA EST
ANTIQVITAS COMPARANDO, PAVLVS
SADOLETVS EPISCOPVS CARPENTOR-
ACTIS ET CAMILLVS SADOLETVS
FRATRVM FILII MOESTISSIMI MVL-
TIS CVM LACRYMIS PATRVO B. M.
PRO TEMPORE POSVERVNT. VIXIT
ANNOS LXX. M. III. D. VI.





PETRUS ARETINUS.



P E T R U S Aretinus, A-
 retij Hetruriæ vrbe an-
 tiquissima natus est :
 vir mira dicendi copia,
 & suauitate : quod illū
 non solū admirabi-
 lem , sed etiam Princi-
 pibus , propter scōma-
 ta, & inuectiuas amarulentas , formidabilem
 reddidit : qui ab eo multis muneribus silentiū
 redemerunt. Et id cælandum ne utiquam vo-
 luit. Curauit enim numismata cudi , artificio
 summo elaborata , in quorū parte priore tor-
 quato habitu sculptus est, cum hac inscriptio-
 ne I L D I V I N O A R E T I N O . à posteriore
 parte sculptus est in tribunali sedens, & ad eius
 pedes Regum Principumque legati submis-
 sionem cum muneribus præstant : cum hoc
 scripto. *¶ Principi tributati dai popoli, tribu-*

tano il seruitor loro. Ambitiosa fanè, & temeraria virilicentia. Illius Satyricam linguã metuens Carolus. V. R O M. I M P. ad illum misit auream catenam ingentis ponderis, ex auribus catenatim simul connexis factam. Idem fecit & Franciscus Valesius Gallorũ Rex: sed eius catena formata erat ex linguis aureis mutuo plexu recurrentibus, & vinculis sese continentibus. Hæc duo munera illum mutum reddiderunt, quatenus ad maledicentiam de duobus illis Regibus attinebat. Reliqui Principes Italiæ illius amarulentiam compererunt per sicarios, qui miserum hominem innumeris ictibus fere confecerunt. Hoc metu perculsus, à maledictis postea abstinuit: calamumque adplicuit ad scribendum de Virgine Maria: De sancta Catharina. Et de rebus facris. Circũfertur & liber de omnibus veneris schematibus sub eius nomine: opus dignum quod cremetur cum autore. Illi post mortem scriptum est hoc Epitaphium Italicè.

(:.)

PETRUS ARETINUS. 269

QVI GIACE L'ARETIN AMARO
TOSCO

DELSEME HVMAN. LA CVI LIN-
GVA TRAFISSE

ET VIVIET MORTI. D'IDDIO MAL
NON DISSE

ET SI SCVSO CONDIR. I'NOL
CONOSCO.





PETRUS APIANUS.

PETRVS Apianus cogno-
 mento Biniucius, Leisnice
 oppido Misniæ natus est pa-
 rentibus honestis. Vir fuit
 magnoingenij præditus a-
 cumine. Quicum in omni
 disciplinarum genere clarus esset, peculiari ta-
 men studio totum ætatis tempus Mathemati-
 cis impendit: in quibus omnes sui sæculi ho-
 mines longè superavit, Cosmographus sum-
 mus, & Astrologus perfectissimus: nemo illi
 par vnquam extitit in Astronomicis instru-
 mentis excogitandis. Hæc studia illum non
 solum Germanis, qui Mathematica felicissi-
 mè tractant, admirandum reddiderunt, sed
 etiam omnib. exteris: potissimum Carolo V.
 Rom. Imperatori commēdatissimum & cha-
 rissimum effecerunt: qui illum ad se accersuit
 Ingolstadio Boiorũ vrbe, vbi Mathemata do-
 cebat

cebat in florenti Academia : eiusq; doctrina delectatus, illū nobilitate donatum, equestris ordinis titulo insigniuit, multisq; honoribus & beneficijs cumulauit. Cui vt gratus haberetur, insigne illud opus dedicauit, quod Astronomicum Cæsareum vocatur, vel liber Cosmographicus, siue Geographica instructio, cui est adiectus Quadrans vniuersalis. Et instrumentum Astronomicum sub forma folij Populi. Ipse quoq; Apianus, & Bartolomæus Amantius ediderunt insigne volumen inscriptionum antiquarum tota Europa extantiū. Petrus Apianus vxorem duxit Catharinam Landisutanam, matronā summæ probitatis: ex qua suscepit filios quinque, Philippum, Theodorum, Timotheum, Claudium, & Carolum: & filias duas Coronam, & Reginam. Philippus in Mathematicis à parente doctus Ingolstadij loco patris successus est: qui licet ab exteris Academijs sæpius vocatus sit, ad eā professionem publicè suscipiendam, maluit tamen Patriæ prodesse, quod & domum haberet ornatissimam, & patrimonium satis boni pro-

ni prouentus vnde posset commode viuere.
Petrus sub finem ætatis difficili, & acuta nephritide miserè vexatus est, supremumq; diem obiit 21. Aprilis, Anno Domini 1555. magno omnium eruditorum dolore, & reiliterariæ dispendio.







HUGO BABELUS.



V ero Babelus natus est Hippolyti, oppido Sequanorum ad confluentiam Dubis & Dessubris. Parentes eius fuerunt Ioannes Babelus, & Ioanna Xanthia mercatores satis amplae fortunae. Fratrem unicum Ioannis nomine habuit, sorores Ioannam, Susannam, Esibæam Annã, & Mariam. Hic Hugo omnibus Germaniæ Gallieq; Academijs perlustratis, perfectam cognitionem linguarum Græcæ, Latinæ, ac Hebraicæ, sibi comparauit, quas inenarrabili cum fructu iuuentutem instruendo publicè professus est: Primò Louanij in Collegio Trilingui Buslidiano, Petro Nannio, Adriano Amerotio, & Gemmæ Frisio, alijsq; eius sæculi viris doctissimis amicitia, & familiaritate iunctus: Quin

fratrem unicum Ioannis nomine habuit, sorores Ioannam, Susannam, Esibæam Annã, & Mariam. Hic Hugo omnibus Germaniæ Gallieq; Academijs perlustratis, perfectam cognitionem linguarum Græcæ, Latinæ, ac Hebraicæ, sibi comparauit, quas inenarrabili cum fructu iuuentutem instruendo publicè professus est: Primò Louanij in Collegio Trilingui Buslidiano, Petro Nannio, Adriano Amerotio, & Gemmæ Frisio, alijsq; eius sæculi viris doctissimis amicitia, & familiaritate iunctus: Quin

& in Anglia multum laudis acquisiuit, nobilium quorundam adolescentium Præceptor constitutus, quos & Papiam, Patauium, & Bononiam deduxit. Louaniumq; reuersus, gratissimum suorum studiorum Musæum, illic aliquot annos scribendo, & docendo se exercuit, Basilæam veniens Erasmus Roterodamum, Beatū Rhenanum, & Martinum Bucerum, Sigismundumq; Gilenium, & alios amicos habuit, cum quibus, & cum Simone Grinæo de suis studijs communicabat. Instituerat inter cæteros Antonium Perenotū Atrebatum Antistitem, Nicolai Granuellani Cancellarij Imperij filium, qui postea Cardinalis factus est, & Neapolitani regni Prorex: ab eo Vesuntionem vocatus est, vt curam susciperet cognatorum, Francisci Dachæi, Thorasij, & Georgij Marciq; Granmontanorum, quib. adiuncti sūt & alij plurimi nobiles Burgundi, & Patricij Vesuntini, Ludouicus Malarmaeus, Ioan. Montriuellus, Saugeti duo, & alij: quos postquam aliquot annis incredibili cum profectu docuisset, Atrebatensis Episcopi, &

pi, & Francisci Bonualoti Vefuntini Archiepiscopi iussu, iuuenes tres cognatos Heydelbergam (vt linguam Germanicam discerent) deduxit, Anno Domini 1548. Vbi biennio apud Iacobum Mycillum vixerunt: & Spiræ sesquianno. Sed postquam Henricus secundus Galliarū Rex Metas occupasset, Christina Christierni Daniæ Regis filia, & Franc. Lotharingæ ducis vxor, capto filio Carolo à Gallis, Auftrasiæque extorris, Heydelbergam venit ad Dorotheam sororem, Friderici secūdi Palatini Electoris coniugem: vbi iuuenes cū preceptore inuenit, & abduxit in Belgicū Anno 1551. Tum primum ad veteres amicos reuersus, cōstituit Hugo Louanio non ampliùs excedere: At postquam Dachæum & Granmōtanos aliquot annis instituisset, Laurentij Dacholij vsus hospitio, illic è vita decessit iā nonagenarius, Anno Christi 1556. omnem vitæ ætatem otio literario occupans cælebs, sanctimonia vitæ, integritate, & continentia clarus. Corpus eius elatum est aperta facie, & comis coronatis, celebri scholasticorū sequentium

multitudine. Nihil post mortem reliquit, præter bibliothecam instructissimam, cuius heredem se reliquit. Scripserat doctissimos tractatus in Theologia: Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam, cū venustissimis Poëmatibus ad Franc. Richardotum Præfulem Atrebatum, Gilbertum cognatum, & alios: quæ omnia perierunt cum meis libris, in ea vastatione, qua Lotharingi Montbelgardensem comitatum depopulati sunt.

Epitaphium Babelo tale scriptum est.

*Defunctum Musæ tristes luxere Babelum;
Luxit & abrupta tristis Apollo lyra.
Doctior hoc nemo vixit: siue ille Pelasgo,
Siue Palæstino solueret ora sono.
Tullius audierat Latio sermone loquentem:
Hic, video, eloquio non mihi cedit, ait.
Dum caneret cithara, modulus miratus Arion,
Threicias, dixit, vincit hic harmonias.
Doctorem non abs re igitur confecta dolore
Ereptum pubes hunc studiosa gemit.*

VIXIT ANNOS XCII. MENS. III. DIES.
 V. O. ANN. SAL. M. D. LVI. CAL. SEP-
 TEMB. IANVS IACOBVS BOISSAR-
 DVS AVVNCVLO ET PRÆCEPTORI
 B. M. P.

Inter eius opera , Poema reliquit doctissi-
 mum de miserijs eorum , qui institutioni iu-
 ventutis sese applicant: qui nisi maturè suis re-
 bus prospiciant , vt plurimùm ab ingratis di-
 scipulis mercedem laboribus indignam refe-
 runt; inuidia plerumque eorum, qui Nobiliũ
 aulas sequuntur : Et hunc tractatũ dedicaue-
 rat Richardoto Episcopo Atrebatensi , cuius
 amicitia multis ante annis conciliauerat, tam
 communicatione studiorum, quàm quòd il-
 lum hospitio diu acceperat Ferraria reuersum,
 quò è Gallia se receperat, propter suspensionem
 doctrinæ, in quam incurrerat apud Sorbonẽ-
 ses doctores, cum Blasio Piperio , qui postea
 Abbas Montis Benedicti in Burgundico Co-
 mitatu ad Lycum factus est. Vterque vir do-
 ctus, & laude dignus: sed qui propter certas
 causas

causas habitum Augustinianum abiecerant. Vtrumque tamen Antonius Perenotus Archiepiscopus Mechliniensis, & Cardinalis factus, vt in amicitia retineret & officio, Richardotum donauit Episcopatu Atrebatensi, & Piperium Præfectura Cœnobij Mōtis Benedicti. Vterque doctissimus, & familiaritate doctissimi Præsulis Mæcenatis dignus extitit: à quo cōmodis huius vitæ locupletati, totam vitam studijs impenderunt.









CLEMENS MAROTUS.



CLEMENS Marotus ex vrbe Cahors, (quæ sita est in Cadurcis Narbonensi Gallia finitimis, hodie Quercij dicuntur) Parentes illius, honesta ciuium conditione orti. Is propter ingenij facilitatem ad Poësim naturali inclinatione ferebatur: adeoque promptus, vt qui eius scripta legunt, nihil in ijs requirant, præter exactiorem Græcæ, Latineque linguæ cognitionem, in quibus non satis instructus erat. Quamuis Metamorphosis Ouidij ab eo versa, & Psalmi Dauidis satis indicant, non vulgari doctrina fuisse præditum. Priores enim Poëtæ Galli, qui Rhythmis rudibus & incultis scribebant, à Maroto ad politio-rem scribendi modum ducti sunt. Acceptissimus igitur factus est ma-

gno illi Galliarum Regi Francisco Valesio, cui fuit à Cubiculo. Mirificè enim Princeps literatis delectabatur, & maximè Maroti pròptitudine, & loquendi Parrhisia, suauitateq; conuersationis : propter quæ multis beneficijs à Rege affectus est, donec Lutheranae opinionis iuspicionem apud Theologos Sorbonenses incurrens, è Gallia coactus est se recipere in Pedemontium, deinde Ferrariam : vnde Turinum reuersus, ibidem è vita decessit Anno Christi 15. ætatis suæ sexagesimo.

Hunc Petrus Ronfardus, & Romanum à Rosa, Ioannemque Mariù Quisquilias Poeticas vocat (vt Vergilius de Ennio dicere solebat) ex quibus tanquam ex scoria repurgata, preciosa auri puri fragmenta colligebat. Res enim certa est, si Marotus cum recentioribus conferatur, lógè eum differre à præstantia tot excellentium poëtarum, quibus hodie Gallia exornata est : Inter quos præcipui dicuntur Ioannes Auratus reliquorum Princeps. Petrus Ronfardus. Ianantionius Bayfius, Ioachimus Bellaius, Remigijs Bellaqueus, Pontus Tyar-

CLEMENS MAROTVS. 185

Tyardus, Stephanus Iodellius, Robertus Garnerus, & alij. Qui licet ad illustrandam Gallicam linguam scripserint, arte tamen, & scribendi methodo nulli antiquorum cedunt.







JANANTONIVS BAYFIVS.



ANANTONIVS Bayfius familia Bayfiorū apud Andegauenses ad primè nobili ortū duxit, ex qua præclari semper pace, militiaq; viri prouenerunt, & qui inter doctissimos

Gallię numerari meritò possunt. Eius pater fuit Lazarus Bayfius, Supplicatoriorum libello-
rū magister in Senatu Parisino, vir summa do-
ctrina, integritate vitæ, & morum generosita-
te cultissimus: Is vt de Musis optimè meritis
erat, existimauit ad suã laudem plurimū perti-
nere, si Reipublicæ, & Patriæ liberos educaret,
paternarum virtutum, sicut & Patrimonij he-
redes. Filium igitur Ianantonium, quem ani-
maduertebat ingenij promptitudine & docili-
tate valentem, à primis ætatis annis curauit
optimis literis institui. Quod vt fieret cōmo-
diùs, delegit illi Præceptorem in omni litera-
tura

tura doctissimum Ioannem Auratum; à quo cum Petro Ronfardo in domo paterna eruditus est, tam Græcis quàm Latinis studijs. Postquam ex Ephœbis excessisset, factusq; esset sui iuris, omne studiũ ad Poësim applicuit: fuitq; inter præcipuos Poëtas Gallos, qui Vernaculũ sermonem illustrarunt, & repurgarunt ab illa crassa ignorantia fece, qua tot sæculis antea actis situ & sordib. obruta squalebat. Omnem elegantiam ex Callimacho, Pindaro, & Horatio simul collegit, & ad vsũ linguæ Gallicæ artificiosissima methodo adhibuit: Primus etenim dicitur, qui rudes & incultos rithmos, ad suauem harmoniam, & Profodiam pedibus mensurisq; constantẽ reduxit. Huius ingenio mirum in modum delectatus est Carolus IX: sed potissimũ eius frater Henricus III. qui illũ epistolarum, & regij scrinij Magistrũ fecit, atq; inter eos, qui cubiculo præsumt, numerari voluit, addito splendidissimo stipendio: vt extãti viri familiaritate, & quotidiana consuetudine, eum fructum reciperet, qui Principibus generosis à viris literatis præstari solet.



INDEX EORVM, QUI LIBRO

hoc continentur: cum distichis singulorum iconibus subijciendis.

- 1 Ioannes Posthius Archiater Palatinus.
*Te Posthi, te Phæbus amat, seu carmina pan-
Præonia veniat seu tibi ab arte decus. (gas,*
- 2 Christophorus Columbus Genuensis.
*Astrorum consultus, & ipso nobilis ausu
Christophorus tali fronte Columbus erat.*
- 3 Azo Bononiensis. I. C.
*Fons olim hic legum dictus, Iurisq; Lucerna:
Actæus cuius fluxit ab ore fauus.*
- 4 Ægidius de Foscararis. I. C.
*Hoc visa est olim doctore Bononia felix:
Disfluxit lacrymis quo moriente Themis.*
- 5 Albertus Bolstadius Magnus.
*Mitra pedumq; oneri tibi quondam, Alberte,
Dulcius est Sophia delituisse sinu. (fuerūt,*
- 6 Dantes Aligerus.
*Qui potuit patriamagnum Florentia Dantē
Pellere: nempe illo digna Rauenna fuit.*

I N D E X.

- 7 Franciscus Petrarca.
*Italia scriptis viuit celeberrimus omni,
 Qui nunc Euganeo colle Petrarca iacet.*
- 8 Bartolus de Saxo ferrato.
*Iura doces populos aqua libranda bilance,
 Intricata tuis, Bartole, temporibus.*
- 9 Flavius Blondus Foroliuiensis.
*Flavius ecce iterū, Roma inſtaurata, triūphos,
 Atque antiqua tibi nomina reſtituit.*
- 10 Ioannes Boccatus de Cetaldo.
*Qui maria & terras ſcripſit, Boccac. iſte eſt:
 Inſignis varia conditor hiſtoria.*
- 11 Baldus Perufinus.
*Eſſe Peruſino poſſes cum in monte celebris,
 Miror Ticinite voluiſſe mori.*
- 12 Petrus Ancharanus.
*Attica Cecropio plaudet dum turba Soloni:
 Laudibus ad cælum hunc euehet Italia.*
- 13 Ioan. Franciſcus Poggius Florent.
*Felle armata tibi manus eſt: multoq; cachinno
 Tinxiſti, & nudo ſcripta proterua ſale.*

I N D E X.

- 14 Laurentius Valla Romanus.
*Defuncto Valla Musis plorantibus inquit
 Phœbus, hic antistes nostri Heliconis erit.*
- 15 Ioannes de Imola.
*Pro benè digesto si gloria Iure sequatur,
 Accedet titulis ciuica palma tuis.*
- 16 Paulus de Castro I.C.
*Vt fauere tibi Sena, tua floret ad Arnum
 Gloria: Medoaco nec minor extat honos.*
- 17 Leonardus Aretinus.
*Gotthorū historiam scribentē & Punica bella
 Aonijs olim hunc pauit Apollo fauis.*
- 18 Hieronymus Fracastorius.
*Crethei docui arcanas Amythaonis artes,
 Barbiton Aonijs & resonare modis.*
- 19 Georgius Trapezuntius.
*Dum seruit Getico Regi subiecta Trapezus,
 In Latio viues commodiore loco.*
- 20 Bessario Patriarcha Constantinop.
*Frons tibi Threicia fuit olim cincta tiara;
 Nunc te Romana purpura vestetegit.*

I N D E X.

- 21 Theodorus Gaza Theſſalonicenſis.
*Theſſala liquiſti regna, & Peneia Tempe,
 Ad Tyberim quoniam gloria maior erit.*
- 22 Alexander Tartagnus. I. C.
*Felſina Tartagno leges & iura docente
 Floruit, aeterno nomen honore gerens.*
- 23 Bartolomeus Platina Cremonenſis.
*Pontificum vitas vero quid profuit ore
 Dicere, ſi inſeſti ſunt tibi Pontifices?*
- 24 Marſilius Ficinus Florentinus.
*Interpres diui vigilans Ficine Platonis,
 Ingenio eſt illi lux data quanta tuo.*
- 25 Angelus Politianus.
*Cecropias iterum repetat Demetrius oras:
 Angelus, Oenotrij quo doceantur, erit.*
- 26 Iaſon Maynus Mediolanenſis.
*Eloquio, & Legum ſtudio præclarus Iaſon
 In ſubrum eximio vexit honore decus.*
- 27 Baptiſta Hiſpaniola Mantuanus.
*Mantua Baptiſte mirata a pœmata vatis,
 Iſte, ait, Andino carmine textit opus.*

I N D E X.

- 28 Rudolphus Agricola Frisius. *(Sas*
Gaza ut ad Eridanũ Græcas deducere Mu-
Ausus es has flauo conciliare Nicro?
- 29 Hermolaus Barbarus Venetus.
Adria te genuit: Patriarch. Aquileia vocauit:
Musa tibi nomen, Roma dedit tumulum.
- 30 Ioannes Picus Mirandula.
Roma tua quondam stupuit virtute, tuaque
Doctrina, & tersi floribus eloquij.
- 31 Marcus Antonius Sabellicus.
Instruxit cunas Anien: tibi laurea Roma
Concessa est: tumulos Adria constituit.
- 32 Hieronymus Sauonarola.
Desine Alexandri verbis perstringere mores,
Quilibet atem reprimet igne tuam.
- 33 Ioan. Iouianus Pontanus.
Littora Parthenopes dũ tu, Pontane, tenebas,
Illic Castilides sedem habuere Dea.
- 34 Raphael Maffeus Volaterranus.
In Volaterrano recubat qui monte sepultus,
Maffeus urbana claruit historia.

I N D E X.

- 35 Philippus Decius Mediolanensis ic. 88
Sanctarū intereant numerosa volumina legū;
Hic, per quem subito restituantur, erit.
- 36 Actius Sincerus Neapolitanus. 93
Nomen habent, Acci, per te Sebethides unda;
Ut per Sebethi flumina nomen habes.
- 37 Hulrichus Zasius Constantiensis. 93
Brisgoū patria praefers, Hulriche, Friburgum;
Iura ubi cum summa publica laude doces.
- 38 Desiderius Erasmus Roterodamus. 98
Qui te nō norit, Musas quoque nesciat esse:
In summo sedem namque Helicone tenes.
- 39 Petrus Bembus Venetus Card. 83
Seu Veneti pars sis, Romani siue Senatus:
Accipies magnum laude utriusque decus.
- 40 Paulus Iouius Nouocomensis. 88
Diligeris Cosmo; coleris quoque, Paule, Leoni:
Doctus eras Medicus: doctus es Historicus.
- 41 Marcus Hieronymus Vidas. 88
Vergilio gaudent Thebana mœnia Mantūs;
Vt vicina suo est leta Cremona Vida.

I N D E X.

42 Beatus Rhenanus Selestadiensis.

*Te, venerande senex, Musæ, te Phœbus amavit:
Vita tibi exacta est, quæ sine labe fuit.*

43 Lucas Gauricus Geophonensis.

*Dum cœli arcanos motus, & sidera tractas,
Mitra tibi cedit munere Pontificis.*

44 Andreas Nauagerius Venetus.

*Historice, Orator celeberrime, doctè Poëta,
Gallica pullato Rege sepulchra subis.*

45 Iacobus Sadoletus Cardinalis.

*Doctè deûm interpres, nō solū oracula Christi,
Sed dictata sacro verba Helicone canis.*

46 Petrus Aretinus Hetruscus.

*Principibus populi pendunt tributa: ab eisdem
Pendi suenerunt quæ tibi Principibus.*

47 Petrus Apianus Binuitzius.

*Quòd cœlos pandis, radio quòd sidera pingis,
Germanus meritò diceris Archimedes.*

48 Hugo Babelus Hippolytanus.

*Te celebrè extollit linguam quæ edocta Pelasgam
Est schola præceptis Buslidiana tuis.*

Clemens.

I N D E X.

49

Clemens Marotus.

Anterudis, perte (calamos inflante Thalia)

Edidicit dulces Gallica lingua modos.

50


Ioanantonijs Bayfius, Poëta.

Oedipodionijs reddentur mœnia Thebis,

Sitibi vocali pollice tacta Chelys.

F I N I S.








227.8745

UB WIEN



+AM36336550X



www.books2ebooks.eu